


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
15 —H
7 H

ANDREÆ EVDÆMONIOANNIS CYDONII E SOCIETATE IESV

CASTIGATIO EORVM, QVÆ ADVERSVS ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI CONTROVERSIAS SCRIPSIT Lambertus Danaus Caluinista.






Cum speciali Priuilegio sacræ Cæsareæ Maiestatis.

INGOLSTADII,

Ex officina EDERIANA, apud ANDREAM ANGERMARIVM.

ANNO M. DCV.



Ego Gregorius Roseffius Societatis Iesv per Superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis, iuxta Priuilegium à Cæsarea Maiestate Societati Nostræ concessum, &c. Andreæ Angermario Typographo Ingolstadiensi facultatem concedo excudendi duos libros Castigationum, quos P. Andreas Eudæmonioannes Cydonius è Societate Iesv pro Roberti Cardinalis Bellarmini controuersiis aduersus Lambertum Danæum Caluinistam scripsit. In cuius rei fidem hoc ei testimoniũ manu nostra subscriptum & sigillo munitum dare voluimus Ingolstadij Calendis Martij. Anno Christi. M. D C V.

Gregorius Roseffius.



ROBERTO BELLARMINO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.


ANDREAS EVDÆMONIOANNES FELICITATEM.



Ebet tibi plurimum orbis terrarum vniuerſus, Cardinalis Ampliſsime, quod nefarios hæreticorum vaſtitatem Eccleſiæ minitantium impetus, ſcriptorum tuorum oppoſitu non modo retuderis; verum etiam fregeris. Debet noſtra Societas, cui non magis glorioſum eſt, tantum Eccleſiæ columen, tamque acrem fidei propugnatorem; quam eum virum è diſciplina ſua prodiiſſe, qui vitæ ac morum ſanctimonia probet, præclariſsimam

istam purpuram tam multorum votis atque ambitionibus tantopere expetitam, non nisi sacrosancto imperio coactum induisse: vt sine vel ingrati in te, vel parum pij in Ecclesiam animi crimine dissimulare diutius sacrilegam eorum audaciam non possimus, qui vt Catholicæ religioni qua ratione possunt, incommodent, controuersiarum tuarum libros plenis mendaciorum & calumniarum voluminibus exagitant. Quæ me causa impulit, vt quando Ludouici Rogerij, qui hanc sibi prouinciam depoposcerat, præmaturus interitus fecit, ne plenam atq; absolutam Lamberti Danæi Confutationem haberemus; duobus hisce libris, qui nunc nomini tuo dicati prodeunt, insanam hominis impij temeritatem castigarem. Neque verò dubito, quin sin minus ingenium atque doctrinam; studium quidem certè, ac voluntatem meam sis pro tua benignitate probaturus. Incolumem te Deus Ecclesiæ suæ diu seruet, Illustrissime Cardinalis.

AN-



ANDREÆ EVDÆMONIOANNIS CYDONII E SOCIETATE IESV CASTIGATIONIS LAMBERTI DANÆI LIBER PRIOR.

Instituta castigationis huius ratio.

CAPVT I.

LAMBERTVS Danæus adoleſcentulus, ſi non leui quorundam ſuſpicioni credimus, ſub ficto Audeberti Aurelij nomine, Bezæ olim amoribus decantatus, mox meliore doctrinæ, atq; ingenij fama, defendendis contra aliarum ſectarũ Hęreticos Caluini placitis, apud ſuos nobilitatus; vbi ex iis contentionibus ſatis ſibi, vel exercitationis ad ſcribendum, vel exiſtimationis collegiſſe viſus eſt; auſus ex vmbratili illo certamine in arenam, ſolemquè deſcendere, in Roberti Bellarmini doctiſſima controuerſiarum volumina ſtylum, ſtudiumq; conuertit. Eius audaciam, vt frangeret Ludouicus Rogerius noſtræ Societatis Theologus, vir, & doctrina non mediocriter inſtructus, & ſtylo, atquè ingenio in primis acer, reſponſionem inſtituerat eruditam, & grauem; ſed ne librum per ſe obſcurum, atquè ignobilem, præclara reſponſione clarum, ac nobilem redderet, in ipſo ſtudiorum flore mors hæc molientem occupauit. Cuius ſcripta, cum recognoſcendi cauſa, in manus meas deueniſſent, ita cetera omnia miratus ſum, vt illud laudare non poſſem; quod eum potiſſimum delegiſſet, quem contra ſcriberet, cui aduerſario opus eſſet, è cuius ſcriptis, ſplendorem nominis, atq; immortalitatem conſequeretur.

sequeretur. Cupiebam primum illum ingenij eius fœtum emittere, dignum quem, licet immaturum, magna etiam ingenia non asper-narentur: sed me ab eo consilio interrupta nonnullis in locis, vt in opere inchoato, responsionis series auocauit. Verum, ne Danęi non castigata temeritas, aut rudioribus fucum faciat, aut ad eadem in posterum audenda alios eius similes excitet; meum scilicet esse putaui, vt penitus intactum eum librum transire non patiar. Sed nonnullis eius vitiis, ex quibus de toto opere iudicium fieri posset, breuiter propositis; etiam, atq; etiam lectores monerem, vt diligenter considerent, qua fide, qua eruditione, quibus artibus quinti huius Euangelij buccinatores in rerum diuinarum tractatione, atque explicatione versentur. Quare ea omnia, quæ Danæo cum ceteris Caluinianis communia sunt, condonabo, vel quod satis ea doctissimis aliorum voluminibus confutata, atque euersa sunt; vel quod non est communicatione causæ priuati sceleris inuidia minuenda. Maledicta item, atq; conuitia, quæ tum priuatim in Bellarminum, tum publicè in omnes nostri Ordinis homines, tũ verò etiam, quod multò sceleratius est, in Ecclesiam ipsam Catholicam, summumq; Pastorem tertio quoq; verbo iactat, ita condono, vt nõ modo non reddam malum, pro malo, neq; maledictum, pro maledicto; sed silentio planè totum eum locum inuoluam. Neq; enim parum vltus eas contumelias viderer, si linguæ eius intemperantiam, earum enumeratione, sub aspectum omnium ponerem. Memini, non debere eos, qui vocati sunt, vt benedictionem hęreditate possideant, maledictis contumeliisq; contendere. In scriptis Hæreticorum, quę discordiæ, atq; superbiæ spiritus exarauit, mirum non est conuiciis omnia personare. At in nostris Catholicorum scriptis, in quorum mentibus per fidem Christus inhabitat, nihil decet esse asperum, nihil à Christiana mansuetudine alienum. Denique, non hoc, scriptis nostris agimus, vt vlciscamur iniurias, atq; aduersarium vulneremus; sed vt aberrantes à veritate, qua ratione possumus, reuocemus ad Christum. Quibus, errore, quasi febre phreneticis, in Medicum sæuientibus, commiserationem impendere, non rependere contumeliam debent viscera Christiana. Ad quatuor igitur omninò capita, ea omnia reuocabimus, quæ in hac nostra, aduersus Danæi librum disputatione dicturi sumus. In primo, eius in hoc opere fraudes, atq; mendacia detegemus; in secundo tũ impiè in Deum, ac Sanctos eius iactata, tum proprias ipsius hęreses recensebimus; in

tertio persequemur, ea, quę parum sibi in hoc opere constant; quartum denique, ineptè, atq; imperitè dicta continebit. Neque verò enumeraturum me, aut omnia, aut etiam aliqua ex singulis huius voluminis libris recipio; consulendum enim, & otio meo mihi est, & tædio, ac satietati lectorum; sed ex duabus primis controuersiis, quę integrę ad me peruenerunt, & non nunquam ex tertia nonnulla decerpam, quæ mihi non admodum accuratè quærenti occurrerint.

Danæi in hoc opere fraudes:

CAPVT II.

AMPLISSIMVS hic, longeq; vberrimus locus est, vt mihi, ne integrum Danæi librum meis commentariis inseram, multò plura consultò prætermittenda sint, quã adscribenda. Quod verè à me neq; oratoriè dictum, is demum intelliget, qui Bellarmini scripta, paulò accuratius cum istius confutatione contulerit. Quare, si cui fortè in hoc argumento prolixior visus fuero, meminerit maximam huius loci partem omissam, hæc enumerata necessario, ne sine causa tantam Danæo notam inurere videremur.

1. Prima fraus est, quod non raro in ipsa disputatione statũ quæstionis inuertit, quo fit, vt neq; rationes nostræ quicquam probare, neque responsiones, ad rem facere videantur, & verissima Catholicorum sententia, aut absurda planè reddatur, aut ridicula. Huius rei, ex multis tria, vel quatuor exempla admodum luculenta subiiciam. Quæritur in tertio libro primæ controuersiæ, quis sit Iudex controuersiarum fidei, cap. eius libri 3. Bellarminus, præfatus constare inter omnes sacram scripturam eo Spiritu intelligi debere, quo scripta est, quæstionem ipsam proponit his verbis. *Tota igitur quæstio in eo posita est, vbi sit iste Spiritus; nos enim existimamus, hunc Spiritum, etsi multis priuatis hominibus sæpè conceditur; tamen certò inueniri in Ecclesia, id est, in Concilio Episcoporum, confirmato à summo Ecclesiæ totius Pastore; siue in summo Pastore, cum Concilio aliorũ Pastorum.* Ita explicata fide Catholica, atq; probata ex Concilio Tridentino sess. 4. errorem Hæreticorum his verbis explicat. *At Hæretici omnes huius temporis docent, Spiritum sanctum scripturæ interpretem, non esse alligatum Episcopis, vel vlli hominum generi.* Hæc Bellarminus. Ex quibus manifestè patet, non in eo positam esse nostram, cum Hæreticis controuersiam, vtrum humano iudicio, vnius, aut omnium Episcoporum, aut cuiusuis alterius hominis standum

sit

sit in interpretatione scripturarum; cum vtriq; conueniamus non posse scripturas certo, atq; infallibiliter, humano iudicio explicari; sed necessarium esse summa consensione dicamus instinctum sancti Spiritus, quo auctore scripturæ conditæ sunt. Sed illud esse inter nos controuersum, vtrum infallibilis hæc Spiritus sancti assistentia ad sacrarum interpretationem litterarum, certò alicui, vel homini, vel hominum cœtui sit promissa: id, quod nos affirmamus, propter eas rationes, quas eo libro, consequentibus quinq; capitibus Bellarminus enumerat; aduersarij nostri pernegant. Porrò hunc esse quęstionis huius statum, atq; in eo positam esse controuersiam, vidit Danæus ipse in iis, quæ ad caput illud 3. adnotauit; sic enim in responsione ad primum Bellarmini argumentum. *Primum Bellarmini argumentum*, inquit, *col. 133. l. A. Negant Euangelici Spiritum sanctum alligatum esse Pontificiis Episcopis, ergo volunt ex priuato vnumquemque animi arbitrio, iudicem esse sacræ scripturæ.* Vides, quam luculenter ipsemet doceat in eo Christianos Catholicos, à Pseudeuangelicis dissentire; quod nos concedimus Spiritum sanctum, ita esse alligatum Concilio legitimè definienti controuersias fidei, vt ab eo abesse non possit, sectarij id planè negant. Vide qua fraude paulò post statum quæstionis inuertat. In hac ipsa disputatione ita nostris rationibus respondet, ita nobiscum agit Danæus, quasi velimus ex humano Pastorum iudicio definitiones fidei, pendere oportere, sic enim scribit in eo libro ad cap. 4. *Quod ex Ecclesiastæ 12. inquit, v. 13. Aggæi. 2. v. 12. Malac. 2. v. 7. allegatur, habet diserte in textu ipso, ex præscripto legis, & Dei Pastoris, non ex cuiusquam hominis arbitratu, & sententia valere, & ratum esse debere id, quod dicitur, docetur, definitur; ergò ex ipsismet textus verbis à se citatis Bellarminus refutatur.* Non vrgeo in præsentia, quod falsarius est, & sacram scripturam corrumpit Danæus, nam ea de re suo loco disputabimus: illud quæro, quarè confutetur his verbis Bellarminus? Quia, inquit, his scripturæ locis docemur ex præscripto legis & Dei Pastoris, non ex hominum arbitratu finiri controuersias oportere: Docet igitur, auctore Danæo, Bellarminus, ex hominum arbitratu finiendas esse controuersias fidei. At ille nusquam hoc docuit; nam vult Episcoporum iudicio legitimè de controuersiis fidei iudicantium fidem haberi; quia ei Concilio alligatus est Spiritus Sanctus, vt in iis, quæ ad explicationem fidei pertinent, errare non possint. At Concilium, quod auctore regitur Spiritu Sancto, humanum iudicium dici nulla ratione potest.

Nisi

Nisi fortè etiam Concilium, id, quod de abrogatione legalium Hierosolymis Ecclesia nascente coactum est, quia homines erant Apostoli, per quos in eo Concilio Ecclesiam suam docuit Spiritus sanctus, humanum iudicium fuisse dicendum est. Quod, etsi Lutherus fortè non admodum grauatè concesserit, ne suilli suauitate sanguinis priuetur; Apostoli tamen nunquam annuerint, qui eius Concilij decretum magnifica illa inscriptione cohonestarunt. Visum est Spiritui sancto, & nobis. Item ad cap. 8. *Quæ ex Patribus*, inquit, *citat Bellarminus, toto hoc 8. cap. neq; Episcopis, neq; Romano Pontifici, arbitrariam illam definiendi, quæ sit vera sacra scriptura, & quis verus illius sensus, potestatem tribuunt. Nam esset illud, & temerarium, & superbum, velle Dei verbum ex hominum arbitratu pendere.* Hæc Danæus. At nos, non arbitrariam potestatem humana ratione iudicandi de vera sacræ scripturæ intelligentia; sed Spiritus sancti infallibilem assistentiam concedimus Episcopis, cum summo Pastore iudicantibus. Quare manifestè statum quæstionis inuertit, vt calumnietur Danæus.

Alterum, non minus luculentum exemplum est in 2. controuersia, lib. 4. cap. 1. vbi proponitur quæstio, de perfectione animæ Christi. Volunt enim Hæretici nostri temporis, quod etiam Danæus confitetur, Christum Dominum quædam aliquando ignorasse, quæ deinde didicerit, atq; ob eam rem ignorantiam tribuũt animæ Christi; credo ne sapientiorem se, Deum habeant. Quam eorum hæresim postquam retulit Bellarminus, eorumq; verbis probauit ab ipsis defendi, ita caput illud claudit. *At Catholicorum communis sententia semper fuit, Christi animam ab ipsa sua creatione repletam scientia, & gratia, ita vt nihil postea didicerit, quod non antea sciuerit.* Hæc Bellarminus; quibus satis apparet controuersiæ status, de scientia animæ Christi. Neq; verò hanc esse inter nos, atq; Hæreticos controuersiam Danæus inficiatur, qui ad caput primum, dum pro sua illa ignorantia non longè post initium argumentatur, postquam dixit in scripturis dici Christum Dominum profecisse sapientia, vt & Ioannem, & Samuelem. *Iisdem verbis*, inquit, *res eadem, & profectus similis, proculdubio in scriptura significatur, ex quibus in illis singulis sapientia creuisse, ac proinde ignorantia quædam præcessisse intelligitur.* Hæc eo loco Danæus. & infra. *Hoc*, inquit, *verissimum est, Diuinam Christi naturam humanæ illi, quam assumpsit, per gradus, & tempora dispensasse, quæ erant ad salutem hominum, & cognitu, & factu necessaria.* Ex qui-

bus verbis, satis apparet velle Danæum cum suis id, quod Ecclesia Catholica semper negauit: Christum Dominum aliquando ignorasse nonnulla, quæ postea grandior factus didicerit. At in ipso disputationis cursu controuersiam planè mutat, atq; ita nobiscum agit, ac si diceremus animam Christi, ab ipso conceptionis articulo, ita fuisse sapientia consummatam, vt parem diuinæ, sapientiam, ac scientiam sit assequuta. Nam eodem capite, non multò post, dum sententiam suam probare nititur ex scholasticis. *Lombardus ipse*, inquit, *lib.3.sent.dist.14. negat animam Christi æquari in scientia Deo creatori suo. Duran. lib.3.sent.dis.13.q.1.num.10. docet, gratiam, & sapientiam, quam accepit Christus, esse finitam, nec ad ea pertingere, quæ in sui vnius potestate Pater posuit, quale est scire diem Iudicij. Et qui ex sententiariis aliter sentiunt, illi, aut idioma essentiale Deitatis in creaturam, id est, animam Christi transfundunt, nimirum omniscientiam, atque sic animam Christi Deum nouum fabricant; aut in Vbiquetariorum errorem, quem tamen ipsi damnant, incidunt, videlicet, vt humana Christi natura habeat participatiuè ea, quæ diuina habet essentialiter.* Hæc eo loco, quæ, atque similia, incredibile dictu est, quam nobis frequenter obiiciat in ea tractatione. Quæro igitur à Danæo velitne ipse, aut tunc, cum in cœlum Christus ascendit, aut etiam nunc, cum iam sedet ad dexteram Patris, omnia ea nosse animam Christi, quæ Deus ipse Diuina sua sapientia nouit? si affirmat, aut Deum nouum fabricat, aut Vbiquetarius est, quamquam contra eam sectam scripsisse se gloriatur. Aut certe, si, cum eam cognitionem animæ Christi nunc ipse concedat, neque nouum Deum fabricat, neque Vbiquetarius est; ne ex nostra quidem sententia ea absurda sequuntur, qui illud vnum asserimus, beatissimam Christi animam, eadem nunc nosse, beata, atque infusa scientia, quæ ab ipso suæ creationis instanti primum nouit. Si autem nunc humana Christi intelligentia, neq; omnia, neque tanta perfectione scientiæ compræhendit; vt diuinæ parem habeat sapientiam: vnde colligit Danæus, omniscientiam illi à nobis tribui, ex eo, quod eadem illa, quæ nunc nouit, iam tum, in matris vtero sciuisse contendimus? aut qua ratione gloriatur, Lombardum, atque Durandum adstipulari suæ sententiæ, quia infinitam, ac parem diuinæ sapientiam Christi animæ denegēt? Nam, quod Durandum, velle ait, ea, quæ Pater in sua potestate posuit, ipsumq; adeò Iudicij diem, à Christi anima ignorari, manifesta calumnia est.

3. Exem-

III. Exemplum est eodem libro cap. 8. vbi agitur de descensu animæ Christi ad inferos, contra Caluinum, qui vult animam Christi damnatorum hominum supplicia pertulisse, cuius capitis ea inscriptio est. Christum non pertulisse pœnas Damnatorum. In eo capite, postquam retulit Bellarminus Caluini hæresim, quam is multis in locis inculcauit, ne tantam blasphemiam imprudens effudisse videretur, hæc subdit. *Refellitur hæc noua, & inaudita impietas, primò, quia scripturæ totam salutem nostram tribuunt sanguini, & morti corporali Christi, & post mortem corporalem, nullam vlterius pœnam agnoscunt.* In cuius rei confirmationem profert Bellarminus diuersa scripturæ loca, Philipp. 2. *Humiliauit semetipsum, &c.* & subdit. *Vides, hic nullam fieri mentionem Inferorum? Matth. 20. Marci 10. Luc. 18. Passionem suam, ac resurrectionem prædicit. Vbi quæso*, inquit, *reliquit dolores damnatorum, & cruciatus gehennæ?* Multa alia profert ex Epistolis Pauli, quæ ita concludit. *Vide ergo quam sit verum, quod dicit Caluinus, corporali morte Christum nihil egisse; sed inferni doloribus.* At Danæus ita aduersus Bellarminum disputat, ac si doceat Christum in anima sua nullum paulò grauiorem dolorem sensisse. Sic enim scribit ad caput 8. non longè ab initio; dum primam Bellarmini rationem refert. *Scriptura totam salutem nostram sanguini, & morti corporali Christi tribuit; ergo in anima nihil passus est.* Et paulo post, secundam Bellarmini rationem affert his verbis. *Isaias enumerat omnes dolores, quos pro nostris peccatis Christus passus est; at nunquam eum in anima passum esse, ac proinde, quod idem est, in infernum descendisse meminit.* Item, in eius rationis solutione, post allatum Isaiæ testimonium, quo Christus dicitur posuisse animam suam. *Vides Bellarmine*, inquit, *quoties doloris, quem passus est in anima Dominus ille noster, & seruator Christus meminit Isaias?*

Atqui, vel omnem animæ dolorem, atque tristitiam, inferni, ac gehennæ nomine Danæus intelligit; atque ita non modò tunc, cum oraret in horto, atque in cruce derelictum se esse clamaret; sed etiam cum lacrimatus est, atque omninò quoties indoluit animo, descendisse dicetur ad inferos: nosque ipsi, cum animo angimur, cum mœrore, cum tædio, cum metu torquemur, ad inferos descendimus, quod & ridiculum est, neque

conceditur ab áduersariis. Aut si, nō quilibet, sed certus quidam dolor animi, est damnatorum hominum cruciatus, quem, qui patitur, vbicumq; demum sit, ad inferos descendere dicitur, mutat Danæus quæstionis statum, cum controuersiam nostram, quæ in eo posita est, vtrum anima Christi pertulerit damnatorum hominum pœnas, ad animi dolorem cruciatumq; traducit.

IV. Exemplum, sit ex lib. 5. eiusdem controuersiæ, vbi agitur de officio mediatoris. In eo libro cap. primo Bellarminus sic scribit. *Est autem sententia communis Catholicorum, ipsum quidem mediatorem, siue, vt Theologi loquuntur, principium, quod operabatur opera mediatoris, non fuisse Deum solum, vel hominem solum, sed vtrumq; simul, hoc est, verbum incarnatum, siue Deum humanatum: Principium tamen, quo illa opera, à mediatore fiebant, fuisse naturam humanam, non diuinam. Tametsi enim Deus incarnatus erat, qui orabat, patiebatur, obediebat, satisfaciebat, tamen hæc omnia faciebat secundum formam serui, non secundum formam Dei.* Quod idem repetit cap. 3. & cap. 4. §. hic Cyrillus: *Non potest,* inquit, *vnus, & idem, vt idem sacrificium offerre, & accipere; sed sacrificium accepit vt Deus, ergo non offert, vt Deus: offert igitur vt homo tantum.* Initio verò capitis tertij hæresim Caluini, & sectariorum eius commemorans. *Contendunt,* inquit, *Christum exercere officium mediatoris secundum vtramq; naturam.* Status igitur quæstionis à Bellarmino propositæ est, exerceat ne Christus mediatoris officium, secundum vnam tantum naturam, quod Catholici credimus, an verò secundum vtramque, vt Caluiniani volunt. Quod ipsum Danæus agnoscit, tum sæpè alibi, tum verò ad caput 2. & 3. initio. *Nec sequitur,* inquit. *si Christus, qua Deus, est nobis infensus, ergo cessasse illā ipsam naturam diuinam, omninò in operibus nostræ mediationis, & cum Deo reconciliationis, nam Deus ipse dicitur sibi reconciliasse mundum, 2. Cor. 5. v. 18. Quamobrem etiam deitas ipsa operata est, & quidem, vt principium formale, in operibus nostræ secum reconciliationis. Præterea scribitur diserte Christus per Spiritum æternum sese pro nobis obtulisse.* Et infra ad cap. 5. in responsione ad 4. Bellarmini rationem. *Corticem, pro nucleo,* inquit, *sumit Bellarminus, sacrificare seipsum est propria actio mediatoris, ergo hominis. Respondeo, sacrificare, si pro ista externa duntaxat passione Christi sumitur, est hominis Christi passio; sin Spiritum, vim, & robur, quo tanta passus est Christus, ea quoq; voce complectaris, id quod necesse est, Deus Christus, seu deitas Christi subministrauit à se interne, & tanquam pars altera suppositi.* Vbi vides ab isto id; quod in Christi sacrificio corticis

corticis instar est, humanitati, id quod nuclei locum habet, atq; adeo quod ipsam formalem rationem sacrificij continet diuinitati tribui. Nimirum passam humanitatem dicit Danæus, quod est sacrificari, atq; offerri; reliqua diuinitatis esse vult, hoc est sacrificare, & offerre. Idem tamen interdum perinde loquitur, quasi negemus potuisse eandem personam in duabus naturis subsistentem, secundum vnam naturam exercere opera mediatoris, secundum alteram eadem illa opera acceptare. sic enim ad cap. 4. refert Bellarmini, vt ipse vocat, fundamentum. *Non potest vnus, & idem sacrificium offerre, & accipere; ergo idem Christus, non potest, cum sit idem, & eadem persona, ipse sibi sacrificium mortis suæ obtulisse, & accepisse.* Pergit ipse deinde. *Falsum hoc; nam contra Augustinus lib. 10. cap. 20. de ciuitate. In forma Dei, inquit, sacrificium, cum Patre sumit, qui idem in forma serui sacrificium fuit. Idem Christus, ait Augustinus, seipso, & maior, & minor est, maior, qua Deus, se ipso homine.* Et ad cap. 5. in responsione ad 2. Bellarmini. *Idem Christus*, inquit, *apud seipsum, qua Deus est offensus; certe mediator est, qua homo, se ipsum in natura humana Deo offerens.* Et in censura libri 5. non multo post initium. *Quod miratur Bellarminus*, inquit, *Christum, qua homo, sibi ipsi, qua Deus est, obtulisse sacrificium, imperitiam suam detegit.* Quibus in locis, non modo falsarius est, cum Bellarminus expresse cap. 4. docuerit posse eundem, vt homo est, sibi, qua Deus est, offerre, atq; acceptare sacrificium à seipso: sed statum omninò quæstionis inuertit. Non enim hoc quærimus, vtrum ratione formæ serui, mediatoris officium exercere idem apud se, vt in forma Dei existentem potuerit: sed illud in controuersia est, vtrum idem secundum eandem formam, eandemq; rationem sacrificiũ offerre sibi, & mediatoris officio, apud se fungi potuerit, quod nos negamus, illi concedunt. Quare illud etiam Bellarminus capite illo 4. ex Cyrillo notauit, non posse eundem, vt eundem, sacrificium sibi offerre; quod Danæus, vt aliquid dicere videretur, omisit. Nisi forte, aut ad alium, quàm ad mediatorem spectare, aut aliud magis proprium mediatoris munus esse putat, quam offerre dona, & sacrificia pro peccatis; aut nihil interesse, dicatur ne Christus, vt in forma serui, sibi, vt in forma Dei sacrificium obtulisse, an potius, vt erat in forma Dei, sibi eidem, vt Deo sacrificasse.

2. Altera Danæi, in hac disputatione fraus est, quod sæpè numero ita respondet ad argumenta Bellarmini, vt ea non proferat; sed quasi indemnatos ciues indicta causa damnet; quo fit, vt, cum le-

ctor nesciat quid obiecerit Bellarminus; iudicare non possit, quam ad rem Danæus, quamque apte responderit; sed cogatur eam tantummodo vim argumenti animo concipere, quam aduersarij responsio indicarit. Hoc illi vitium familiare admodum est, præcipuè, cum Patrum testimonia proferuntur. Exempla aliqua afferam: nam lector ipse, in eius opere passim id deprehendet. libro tertio controuersiæ primæ ad caput 8. quod Patrum testimoniis totum constat. *Quæ ex Patribus*, inquit, *citat Bellarminus toto hoc 8. cap. neque Episcopis, neque Romano Pontifici arbitrariam illam definiendi, quæ sit verè scriptura, & quis verus illius sensus, potestatem tribuunt: nam esset illud, & temerarium, & superbum, velle verbum Dei, ex hominum arbitratu pendere; sed concedunt illam notæ illi, & regulæ, quam Deus certam constituit, vt ipsius verbum verum à falso discernatur.* Hæc Danæus. Sed quæ nam ea testimonia sint, aut quibus verbis hoc potius ad eam, quam comminiscitur dignoscendæ, atque interpretandæ scripturæ notam deferant Patres; nullo modo docet. Item ad caput 9. *quæ ratio*, inquit, *quæue collectio hoc capite à Bellarmino fit, atque affertur; ducta est ab enumeratione partium, & earum postea remotione.* Sed quarum nam enumeratione partium, aut qua ratione eæ remoueantur, non commemorat. *Verum*, inquit, *in hac argumentatione, duplici vitio, seu paralogismo laborat Bellarminus.* Vitia rationis eius enumerat, quam nunquam attulit. Ita lector confutationem eius rationis ex Danæo discit, quam, quia nescit, quæ tandem sit, iudicare non potest, quam aptè vir acutus, atque ingeniosus dissoluat. Addam ex secunda controuersia, vnum exemplum lib. 4. ad cap. 4. *Hoc caput*, inquit, *nihil valet, (vt verbis Bellarmini vtar) per totum. Primum nititur similitudine falsa: quia verbo Dei confutatur; crescebat Christus sapientia, Luc. 2. v. 52. qui tamen puer dicitur repleri spiritu. Nesciuit Christus, vbi posuerant Lazarum. Ioan. 11. v. 34.* At ea verisimilitudo, quam benè his scripturæ locis confutetur, quis iudicare possit, qui nesciat, quæ tandem ea sit? sed eam Danæus dissimulare maluit, quam proferre. Pergit. *Præterea*, inquit, *confundit attributum personæ, seu suppositi; vt cum dicitur, anima Christi, anima Dei, cum attributo naturæ vnius proprio; veluti cum eadem anima dicitur sapientiæ anima, cum tamen hic agatur de anima Christi quatenus homo est; non de anima Christi qua Deus est.* Certè portentosum nescio quid, sibi fingat lector, necesse est in argumento, quod

to, quod

to, quod hac solutione refellitur; neque planè diuinare poterit, quo tendant hæc, quæ dicuntur de anima Christi qua Deus est; cum qua Deus est, animam sine dubio non habeat. Quod si ipsam Bellarmini rationem protulisset Danæus, facilè animaduertisset lector, ineptias eas esse Danaicas. non sani hominis dictum. Eadem porrò ratione secundum Bellarmini argumentum eodem loco dissoluit.

3. Tertia fraus, qua in rationibus item dissoluendis nonnunquam vtitur, ea est, quod eas contemnit, ac præterit, cum nullius eas esse momenti dicat. Qua respondendi ratione, nihil facilius. Vt nullus sit adeò indoctus, atque ab omni eruditione alienus rusticus, qui omnes, omnium scriptorum libros non vno verbo confutet, si ea ratione respondere, ac dissoluere liceat aduersarij argumenta. Ita controu. prima lib. tertio ad cap. 5. *Quicquid*, inquit *hic ex nouo testamento, profertur à Bellarmino, nihil eum iuuat; quia condimentum, atque potius animam ipsam eorum locorum detrahit, dum non ex Dei ipsius verbo scripto, & ea dumtaxat doctrina, quæ in eo continetur, Ecclesiæ, aut Pastorum iudicia firma esse vult; sed ex solo hominum, qui modò Pontifices Romani sint, aut illis assideant iudicio, & arbitratu. loci enim ipsi, vbi agitur de cathedra Moysi, Matth. 23. de doctrina veræ in Christum fidei. Matth. 16. v. 18. de vera peccatorum remissione Io. 21. Actor. 15. Hanc Bellarmini doctrinam confutant, nostram confirmant.* Atque hac responsione omnia illa argumenta dissoluit. Quid si ego contra dixero, immò verò doctrinam vestram dissolui, nostram iis locis confirmari Danæe?

Item lib. 4. ad cap. quartum postquam secundum Bellarmini argumentum, vtcumque attulit, atque respondit; reliqua partim inuoluit, atque vnica responsione conatur eludere, ne prolata quidem; partim omninò prætermittit. *In reliquis*, inquit, *huius capitis argumentis, fallitur Bellarminus, & fallit à figura dictionis, & à vocis æquiuocatione, seu restrictione; qui putet Christum dum præcipit Apostolis suis prædicare, non iubere eisdem vt scribant, &c.* Vbi nullum planè argumentum sigillatim diluit; neque meminit, quid tandem Bellarminus obiiciat. Concludit denique caput his verbis. *Reliqua, quæ in hoc capite restant, sunt meræ Bellarmini coniecturæ, quæ nihil veri, ac solidi habent. Itaque hæc sunt prætermittenda.* Nimirum Danæo viro & doctissimo, qui falli non

possit,

possit, & integerrimo, qui fallere nesciat, credendum hoc est. qui quando tantæ est auctoritatis, ac fidei, vt dixisse eum, quasi alterum Pythagoram, satis esse lectori debeat, magno nos labore liberasset, si vnum illud scripsisset. Fallitur in toto suo opere Bellarminus, quicquid contra Caluinum disputat.

Item ad caput 5. cum multa Bellarminus attulisset scripturæ testimonia, quibus ostenderet, multa fuisse à Christo, atq; ab Apostolis verbo tradita, quæ scriptis commendata non sunt. Danęus ita respondet; vt vnica responsione inuoluat omnia; quorundam, quę videbantur detorqueri posse, aut obscurari facilius, meminerit tantum, alia penitus silentio presserit. *Perpetuus est*, inquit, *in hoc capite, paralogismus duplex, vnus ab ignoratione Elenchi: Bellarminus nimirum transfert ea, quæ ordinis, & decori tantum gratia Paulus instituit, & tradit; ad fidei articulos; quasi non omnia, quæ ad fidem necessaria Paulus nouerat scriptis tradiderit, prout locus postulabat; sed quædam cœlarit per traditionem postea non scriptam tradenda. Ergo quæ de fœminis orantibus 1. Cor. 11. 1. Timot. 2. de viris itidem, & cæteris huiusmodi afferuntur, plane politica sunt.* Hæc Danæus. At Bellarminus, ex Ioan. 16. protulit testimonium. Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo. Protulit ex Ioan. vlt. Sunt autem, & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, &c. Protulit ex Act. 1. Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei; de quibus Danæus ne verbum quidem.

Neq; dissimili ratione respondet ad testimonia Conciliorum, atq; Pontificum cap. 6. allata, quæ omnia vnica responsione inuoluit. cum nescias, quid tandem ij dixerint, quos pro se Bellarminus citat; suum enim illud, vt quam rarissimè argumenta aduersarij afferat, constanter Danæus seruat. Sic enim Bellarmini argumentum refert. *Censuerunt nonnulli Pontifices, quosdam ritus, quibus vtebantur esse Apostolicas traditiones: ergo verum est.* Quem ait esse paralogismum à non causa. Pergit deinde. *Alterum*, inquit, *vitium ab ignoratione elenchi; nam quæ Pontifices isti, & Concilia ab hoc citata, de traditionibus, quæ ad solam Ecclesiæ politiam spectant, scribunt; iste ad fidei articulos traducit.* At, quæ, quotue ea, & quorum Patrum aut Conciliorum testimonia sunt Danæe; vt videre possimus, quam aptè responsio vnica tam multis, tam diuersorum dictis conueniat?

4. Quarta Danæi fraus, ex his quoque, quæ modo attulimus, satis apparet, quod non modo dum contemnere argumenta se, simulat;

non

non respondet: sed etiam dum multis rationibus vnica responsione satisfacere vult videri, ita multas difficultates inuoluit, vt nullius vis, ac robur appareat; nesciasq; non modo quid singulæ rationes probent, sed quot eæ demum, aut quales sint diuinare non possis. Et quidem cum singulis argumentis singulas responsiones accommodat, etiam si argumenta ipsa non proferat, ægrè quidem, sed aliqua tamen ratione, ex responsione coniicere possumus argumentum. At verò, cum, & rationes silentur, & vnica tantum ad omnes affertur responsio; tum verò, ne si Tiresias quidem sis, diuinare possis, quid pro se is attulerit, cui respondere se simulat aduersarius.

5. Quinta fraus, quam egregiè noster Rogerius deprehendit, ea est: quod vt argumentum aliquod intactum relinquere ita liceat, vt tamen ad singula respondere videatur, vnicum Bellarmini argumentum in plura nonnunquam diuidit: atq; ita fit, vt responsionum numero, videatur æquasse rationes Bellarmini. Habes huius rei illustre exemplum, controu. 2. lib. 4. ad cap. 8. quo loco primum Bellarmini argumentum ex eo ducitur, quod constanter in scripturis nostra redemptio morti corporali Christi tribuitur: infernorum cruciatuum, & gehennæ, quam Christus pertulerit, nulla mentio fit. Id porrò vt verum esse probet, inductione vtitur Bellarminus, ac multa profert, tum ex nouo, tum ex veteri testamento, sacrarum litterarum testimonia: quibus in testimoniis, cum mortis, cruciatuum corporis, ac sanguinis Christi, quibus redempti sumus, mentio fiat: de damnatorum tamen cruciatibus scriptura nihil commemorat. Quæ omnia testimonia, cum eo spectent, vt ostendant salutem, ac redemptionem nostram, ita corporalibus Christi cruciatib. tribui, vt infernorum nulla mentio fiat, vnius argumenti partes, ac membra sunt. Quare etiam iis omnibus testimoniis commemoratis, argumentum ita claudit Bellarminus. *Vide ergo*, inquit, *quam sit verum quod dicit Caluinus, corporali morte Christum nihil egisse, sed inferni doloribus; cum scripturæ passim inculcent, nos Christi morte redemptos; dolorum autem inferni ne meminerint quidem.* Subdit deinde secundum argumentum. §. sequenti. 2. *probatur*, inquit, *ex circumstantiis passionis Christi, &c.* At Danæus primum illud argumentum in duo secat. Questus enim prius, quod in Caluinum solito acerbius, Bellarminus se in hoc capite gereret, atque hominem impium accusaret, quod Christum damnatorum incendiis addixisset: eius ratio-

nes soluere aggreditur; ac primam his verbis refert. *Scriptura, totam salutem nostram sanguini, & morti corporali Christi tribuit, ergò in anima nihil passus est.* Certè sub scripturæ nomine, omnes sacræ scripturæ libri comprehenduntur, quare ne Isaias quidem excluditur. At Danæus quasi aliud omninò argumentum, ac 2. loco à Bellarmino allatum numerat testimonium Isaiæ. Subdit enim Secundam Bellarmini rationem his verbis. *Secunda Bellarmini ratio. Isaias cap. 53. enumerat omnes dolores, quos pro nostris peccatis Christus passus est; at nunquam eum in anima passum esse, ac proinde (quod idem est) ad inferos descendisse meminit.* Quare manifestè apparet ex vna, duas ab Danæo rationes esse factas. quod, quam improbè, & callidè factum sit; ratio ab eo tertio loco allata satis indicat. Eam enim, quam secundam Bellarminus numerat, quæ dicitur ex circumstantiis passionis Christi, qui dubitare non potuit, vtrum Patris indignationem incurrisset, ac verè damnatus esset, cum tam confidenter Caiphæ in Concilio dixerit, Amodo videbitis filium hominis, &c. ac latroni Paradisum pollicitus sit. Hanc inquam rationem, quasi Sirtem, aut scopulum aliquem præteruectus, quia vel sola eius commemoratio, totam euertebat funditus Caluini, de Christi ad inferos descensu blasphemiam, quam tamen tertio loco proferri par erat, in duas priore dissecta, hanc inquam rationem silentio præteruectus; eam tertiam Danæus numerat, quæ apud Bellarminum quoq; tertia est. *Tertia ratio,* inquit, *si Christus passus esset in anima pro nobis; hoc debuit pingi in figuris Christi Crucifixi.* Quanquam ne hanc quidem rationem fideliter affert.

6. **Sexta fraus superioris persimilis est. Nam, quæ ad probationem alicuius propositionis, aut confirmationem rationis afferuntur, ea interdum pro distinctis rationibus numerat. Vnde fit, vt, aut singulæ per se, minus habeant roboris, cum coniunctæ multum habeant, aut etiam alia omnia probare videantur, quam quod propositum est. Exempla primò ex hoc ipso loco petentur; de quo paulò antè loquebamur. Nam is Isaiæ locus, si ad probationem propositionis illius fuisset allatus, enumerataque essent alia scripturæ testimonia, quæ suppressit Danæus; satis ostendisset in scripturis semper redemptionem nostram corporalibus Christi cruciatibus tribui. At verò solus nullam ferè vim habet. Ne-**

que


que enim necesse est, si quid vno in loco scripturæ omissum est, continuo excludi; cum possit alio in loco ad illud quoque referri redemptio. Tertium, item illud Bellarmini argumentum, de quo paulò antè dicebamus, Danæus planè inuertit, ac vim eius omnem in eo collocat, quod confirmationis tantum loco affertur à Bellarmino. Sic enim vir doctissimus eo loco. 3. *Probatur, quia si redempti essemus per infernales pœnas Christi, deberent figuræ præcessisse, deberet etiam aliquod sacramentum extare in memoriam tanti beneficij, vt est Eucharistia in memoriam passionis. Item Ecclesia deberet celebrare memoriam huius beneficij, vt celebrat memoriam Natalis Domini, Passionis, Resurrectionis, &c. Item deberet depingi Christus in igne, in medio damnatorum, vt pingi solet in cruce inter duos latrones: at nihil tale videmus fieri, aut legimus vnquam factum; ergò, vel Ecclesia semper fuit ingratissima, vel figmenta sunt, quæ docet Caluinus.* At Danæus, quod de celebratione, & memoria huius beneficij dicitur, planè prætermisit: à pictura, & pictoribus orsus est, quod vltimo loco in confirmationem allatum erat; idque quasi integrum, atque absolutum argumentum Bellarmini commemorauit. *Tertia ratio*, inquit, *col.* 404. *l. A. si Christus passus esset in anima pro nobis, hoc debuit pingi in picturis Christi crucifixi, vt eius crux, & flagella pinguntur.* Quod vbi subsannatione, risuque dissoluit; quasi obiter à Bellarmino commemoratum, ac nullius ad rem propositam momenti cursim perstringit id, quod in eo argumento præcipuum, ac maximi ponderis est. Cum enim figuris, res multò minutiores adumbrauerit in veteri testamento Deus; cur tantam rem nulla planè figura significarit? cur in sacramento corporis, & sanguinis sui mortis suæ memoriam extare voluit; eorum cruciatuum, quos maximos pro nobis pertulit, & quibus, aut vnis, aut maximè salutem nobis peperit, nullum sacramentum reliquit? Nimirum, quia solui hæc non facilè poterant, si seriò proferrentur, eludenda artificio fuerunt.

Sed in hoc genere, nihil illustrius, eo quod in 1. controu. lib. 2. ad cap. 15. Danæus molitus est. Cum enim Bellarminus ita esset argumentatus: Esdræ tempore legebantur scripturæ populo lingua Hebraica, quam populus non callebat, ergò vsus est antiquus

Ecclesiæ Dei, vt scriptura in conuentu populi, litterali ei lingua legatur, & explicetur deinde vernacula lingua. Hac ratione argumentatus Bellarminus, duo deinde, quæ in eo antecedente continebantur, probare aggressus est. Alterum, ab eo tempore, quo Populus Babylonem abductus est, vulgarem linguæ Hebraicæ vsum esse desiisse. Alterum Hebræos consuetudinem sacræ scripturæ publicè hebraico idiomate recitandæ retinuisse. Prius probauit ex eo, quod populus, postquam Babylone in Patriam rediit, non intelligebat scripturas, cum legerentur, sed indigebat interprete; præterea, ex eo sermone, qui deinde apud Hebręos in Palestina viguit, vsq; ad Christi, & Apostolorum tempora, quem Syriacum fuisse ex eo colligit, quod, quæ verba ab Euangelistis narrantur dicta à Domino, vernaculo idiomate, quæque ab iis propria locorum vocabula memorantur, Syriaca plerumque non Hebraica sunt: Quod signum est euidens, Syriacam tunc temporis fuisse vernaculam Hebræorum linguam. Posterius ex eo probat, quod si vulgari, populi lingua, scripturas eo tempore legissent, eandem nunc quoq; consuetudinem, aut certe versionem illam retinuissent, qua tunc vtebantur: at in hodiernum vsq; diem, Hebraica scripturæ lectione, vti Synagogas omnes certissimum est: neq; extat apud eos vlla memoria scripturæ in conuentu populi alio idiomate recitatæ. At Danæus, duas hasce duarum illarum partium antecedentis probationes, quasi duas distinctas attulit rationes. Atq; ita in tres partes vna ratione dissecta, non modo id assequutus est, vt prima ratio, quæ plurimum habet ponderis, fere nihili videretur; sed etiam, vt eę rationes, quas ille secundam, ac tertiam numerat, hoc est, duæ illæ probationes, omnino inanes, & futiles, atq; hominis stolidi argumentationes videantur. *Secundum argumentum est*, inquit, *quædam sacræ scripturæ partes, velut sex, ad plurimum, paginæ, & quædam vocabula sunt in sacra scriptura exotica, vel exotica lingua edita, vt partes Esdræ, pars Danielis, ergo sacra scriptura ignota illis lingua legebatur.* In quo argumento prætterquam quod sex illas paginas Esdræ, & Danielis de suo addidit Danæus, cum Bellarminus non nisi quorundam vocabulorum meminerit; alienam etiam consequutionem suo ipse marte confinxit, quam propositioni illi Bellarminus nunquam subiecit. Partis alterius probationem tertio loco sic profert. *Tertium argumentum. Iudæi hodierno die in variis orbis regionibus, & populis versantes, sacram scripturā lingua Hebraica recitant; ergo lingua sibi ignota.* Quod argumentum,

tum, quid ad rem faciat, non apparet, nisi illud ex eo colligi à Bellarmino mentiatur; idem corũ exemplo ab Ecclesia debere seruari. Sed nemo est ita demens, vt ex Synagogę huius temporis moribus, quicquam ad Ecclesiam transferat. Deniq;, vt manifestè fraudem deprehendas, illud indiciũ sit; ꝙ argumentum id, quarto loco Danæus numerat, quod secundũ à Bellarmino numeratur. *Probatur 2.* inquit Bellarminus, *ex vsu Apostolorum, &c.* Vbi ex eo quod Apostoli non omnibus linguis, sed Græca tantum, & si quibusdam credimus, aliquam etiam testamenti noui partem latina scripserunt, cum tamen apud omnes gentes prædicarint Euangelium; colligit id, quod est propositum. At Danæus. *Quartum argumentum,* inquit, *I.C. Apostoli tantum Græce scripserunt, &c.* ita primo, in tria argumenta diducto quartus demum locus secundo relictus est.

7. Septima fraus, qua frequentissimè vtitur; vt cum argumenta Bellarmini profert, (neq; enim semper dissimulari, aut reticeri possunt) ea plerumq; deprauet, ita vt vel alia, planeq; sua, pro Bellarminianis afferat, vel tam deformata, vt vix quicquam habeant cum iis commune, quæ Bellarminus pro sua sententia protulit. Cuius fraudis, vnum, aut alterum exemplum satis erit. Controu. 1. lib. 2. ad cap. 7. sub initium; quandam Bellarmini rationem ex eo capite his verbis refert. *Quibusdam in locis,* inquit, *sacræ scripturæ latina versio differt ab editione Græca, & Apostolica; ergo Græca editio corrupta est, & Apostolica vitiosa;* qua ratione nihil ineptius fingi potest. Bellarminus verò, postquam docuit maximam testamenti noui partem Græcè fuisse conscriptam, & versionem Græcam Euangelij secundum Matthæum summæ semper auctoritatis habitam in Ecclesia. Alteram quæstionem de auctoritate Græcorum codicum sic aggreditur. *Iam verò,* inquit, *quod attinet ad auctoritatem, dubium esse non potest, quin editio Apostolica summæ sit auctoritatis: nisi fortasse constet esse corruptam. De qua re ita sentiendum censeo, vt supra de hebraica diximus, videlicet. Non esse Græcos codices corruptos generaliter, nec tamen esse fontes purißimos, vt necessario quicquid ab eis dissentit corrigendum sit, vt falso existimant Caluinus, Maior, Kemnitius, ceteriq; huius temporis Hæretici.* Ex quibus obiter vides mendacium esse, quod Apostolicos ipsos fontes, ait Danæus, ex Bellarmini sententia, ad latinam versionem esse corrigendos; cum contra Apostolicæ editioni summam, & quidem sine controuersia, tribuat auctoritatem. Sed loqui eum de Græcis codicibus, qui, vel librariorum incuria, vel Hæreticorum



vitio mendis aliquot respersi sunt; id quod planius etiam verba Bellarmini sequentia facient, si quis eius librum consulere velit. Quod autem spectat ad rationem Bellarmini, quia prior assertionis eius pars, ne ab aduersariis quidem improbatur, in ea probanda non magnopere laborat: posterioris probationem sic aggreditur. *Quod autē,* inquit, *non sint vbiq; incorrupta Græca exemplaria; sed aliqui interdum errores irrepserint, saltem negligentia librariorum, & non sit tutum semper latina, ad Græca corrigere: aliquot exemplis planum fiet.* Exempla autem quatuor omninò profert. Primum, ex 1. Corinth. 15. vbi Latinus codex legit. Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis. quam lectionem, non ipsa modò verborum series, atque antithesis; sed Caluinus etiam Græcorum patronus Codicum, magis probat, quam Græcam, quæ legit: Secundus homo Dominus de cœlo. Alterum exemplum est ex 1. Corinth. 7. vbi enim nos habemus. Qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est: mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt. Græci codices longè aliter habent, qui mutata interpunctione, legunt, Diuisa est mulier innupta, & virgo. Nostram porrò latinam lectionem puriorē esse, probat Bellarminus ex Hieronymo, libro 1. contra Iouinianum. Et verò, si quis sententiam consideret, multò probatiorem esse latinam, quā Græcam eius loci lectionem facilè deprehendet. Tertium exemplum ex Rom. 12. Nam vbi nos legimus, Domino seruientes, Græci codices legunt: tempori seruientes. Porrò, meliorem esse nostram, quam Grecorum codicum lectionem; probat auctoritate Origenis, Chrysostomi, Theophylacti, atque aliorum Græcorū Patrum, qui ita legerunt, vt nunc habent latini codices. Quartum deniq; exemplum est ex iis scripturæ partibus, quas etiam aduersarij nostri veras scripturæ partes esse, confitentur; quæ in Græcis codicibus, plerumq; desiderantur, in latinis non item. Non ergo ex eo quod latini codices aliter legunt, quam Græci, colligit Bellarminus nonnullam Græcorum deprauationem codicum, vt Danæus calumniatur; sed ex eo, quod habent nonnullis in locis, quæ, vel aduersariorum concessione, vel veterum testimonio, aliter legenda sunt, quam Græci nunc codices legant.

Alterum huius, vel fraudis, vel mendacitatis exemplum ex eodem petatur capite in quo extremo Bellarminum ita ratiocinantem facit. *In nonnullis Græcis codicibus quædam immutata inueniuntur;*

ergò

ergò illa inueniuntur in omnibus codicibus. Cuiusmodi argumentum, in toto eo 7. cap. nullum planè eſt. Affert ille quidem in extremo capite exempla nonnullarum ſcripturæ partium, quæ in Græcis codicibus plerumq; deſiderantur, ex iiſque colligit, menda in Græcos etiam codices irrepſiſſe: cum eam detruncationem earum partium mendum eſſe, vel aduerſarij noſtri fateantur. Quare negat eſſe conſequens, Græcus codex ita habet, ergò omninò ita legendum eſt; nam, quemadmodum maxima pars Græcorum codicum in re tanta corrumpi potuit: ita in rebus minoris momenti corrumpi omnes facilè potuerunt. Adde, quod cum maior pars vitiata eſt, ſimpliciter dici poſſunt Græci codices vitiati, quia paucioribus aduerſus plures non crederetur, niſi ex conſtanti latinorum codicum lectione, atque aliis eiuſmodi coniecturis veriores ij eſſe conuincerentur.

8. Octaua fraus ea eſt, quod cum Bellarminus, propoſitiones eas, quas aſſumit, cum contra Hæreticos ratiocinatur, niſi notæ, atque conceſſæ ſint, aut ratione probet, aut teſtimonio Patrũ, vel ſcripturarum: optimus iſte vir, probationes plerumque ita omittit, vt ne mentionem quidem vllam illarum faciat. Vnde fit, vt, aut principium petere, aut ignotum probare per æque ignotum vir doctiſſimus videatur Danæi ſcripta legentibus. Noua exempla non afferam. ne longum faciam id, quod ex 7 illo cap. allatum eſt paulò ante ſit ſatis. Ita argumentabatur Bellarminus. Nonnullis in locis Latini, quam Græci codices emendatiores ſunt; ergò non ſemper ex Græcis corrigi Latinos neceſſe eſt, Probauit antecedens illud quatuor illis exemplis, quæ vel aduerſariorum confeſſione, vel Patrum teſtimonio clara ſunt. Danæus totam eam rem ita inuoluit, vt probationem hanc, non modo non euerterit, ſed ne protulerit quidem.

9. Nona fraus octauæ planè gemina eſt: nonnunquam enim rationem aliquam aduerſariorum, aut teſtimonium, quod contra nos facere videri potuit; attulit Bellarminus, & diluit: Danæus, pro ſe, ſuiſque ita eo argumento vtitur, vt Bellarmini ſolutionem non modò non confutet, verum etiam ſupprimat; vt illud nunquam, vel allatum, vel confutatum à Bellarmino ſuſpicere. Exemplum huius fraudis, quæ non admodum eſt apud Danæum infrequens, illud eſto, quod controu. 2. lib. 4. ad caput 2. illuſtre admodum eſt. In eo enim capite non multò poſt medium, pro ſua illa ignorantia, quam

quam in anima Christi constituit cum magistro suo Caluino; cum multa protulisset; addidit Hieronymi testimonium in hæc verba: *Idipsum scribit quoq; Hieronymus in cap.61. Isaiæ*. Id, quod Bellarminus, in eo ipso 2.cap. expresse dissoluit. *Neque obstat*, inquit, *quod Hieronymus in caput. 61. Isaiæ dicit, vnctionem Christi expletam anno eius trigesimo. Voluit enim Hieronymus dicere, Christum, qui fuerat vnctus in conceptione sua inuisibiliter, fuisse vnctum in Baptismo visibiliter, id est manifestatam tunc fuisse exteriore signo vnctionem, quam intus antea iam acceperat.* At Danæus Hieronymi testimonium, ex Bellarmini commentariis pro se mutuatus; ne aliena eruditione doctus esse videretur, solutionem eius omninò reticuit.

10. Decima fraus, in Bellarmini ad Hæreticorum argumenta responsionibus referendis, refellendisq; posita, eaque multiplex est. Totidem enim ferè capita complectitur; quot supra Danæi fraudes numerauimus in Bellarmini rationibus dissoluendis. Nam plerumque, neque ea argumenta numerat, quę proponit soluenda Bellarminus, neq; solutiones ipsas Bellarmini, quas euertere conatur, prodire, ac pro se suam causam dicere patitur: Neque aliam molitur solutionis rationem, quam quod dictatoriè damnat. *Falsum est*, inquit, *non intelligit Bellarminus.* Cincinnatum aliquem, aut Papirium Cursorem pro imperio rem agere diceres. Possem singulas hasce fraudes exemplis, & quidem multis, confirmare; sed vnico omnes exemplo, eoque luculentissimo comprobo. Contro. 1. lib. 3. ad cap.10. responsiones Bellarmini confutat his verbis. *In solutionibus contrariorum suæ sententiæ argumentorum, quæ à nostris afferuntur, tum ignorantiam suam prodit, tum ineptiam. Ignorantiam, dum Matthæi 23. v. 10. ignorat quomodo vnus Christus dicatur doctor. In solutione tertij argumenti Io. 5. v. 30. nescit cur Christus dicat se alieno testimonio non egere. In solutione quarti argumenti Roman. 12. v. 6. verba pro ratione fidei, non intelligit, quia verbum Prophetamus, non repetit. In solutione octaui argumenti, 1. Cor. 2. v. 15. vocem, omnia, non capit, cuius significatio ad propositum argumentum restringitur. In solutione noni argumenti, vocem, omnia, non intelligit, restringit enim ad solos Episcopos.* Vbi tandem in his verbis, argumenta Hęreticorum, quę à Bellarmino soluuntur? vbi ipsæ argumentorum solutiones? vbi solutionum confutationes? sed Danæum ita delectat ignorantia, vt præter eam nihil fere sciat, aut loquatur.

Iam verò præteritione interdum egregius dicendi magister vtitur.

vtitur. Reliquas ſolutiones, inquit, omitto, quia nihili ſunt. Ita controuerſiæ primæ libri 2. cap. 16. claudit. *Reliquæ ſolutiones,* inquit, *quas affert Bellarminus, toto hoc reliquo capite ſunt non modo ineptæ, ſed & falſæ, & nihili, quamobrem eas omitto.* Porrò ſolutiones cum affert (ne præterire omnes nimis oratoriè videatur) aut deprauat, aut mutat aduerſariorum rationem, quæ ea ſolutione diluitur, vt ne ad rem reſponſio facere videatur. Habes poſterioris exemplum 1. controu. lib. 4. ad cap. 12. in ipſo veſtibulo. Primam enim Hæreticorum rationem, contra traditiones non ſcriptas, Bellarminus ita proponit. *Prima ratio eſt, quia videtur impoßibile, potuiſſe conſeruari traditiones non ſcriptas, cum plurima ſemper fuerint impedimenta; obliuio, imperitia, negligentia, peruerſitas, quæ nunquam deſunt in genere humano.* Ad quam reſpondet; potuiſſe conſeruari; imò verò impoſſibile fuiſſe non conſeruari; quia ea cura incumbit præcipuè non hominibus, ſed Deo; qui quemadmodum curam gerit Eccleſiæ, neq; poteſt diuina prouidentia eam deſerere; ita non poteſt permittere, vt ea intereant, quæ ad conſeruationem Eccleſiæ neceſſaria ſunt. At Danæus. *In ſolutione,* inquit, *primæ noſtrorum rationis, paralogiſmus eſt, quo plures interrogationes in vnam confunduntur. Interrogatus, vtrum eiuſmodi traditiones non ſcriptæ, puræ putæ, quales primum inſtitutæ ab hominibus earum auctoribus fuerant, conſeruatæ vllibi gentium inter homines extent. Reſpondet Dei prouidentia, & præter prouidentiam conſeruari potuiſſe. Verum, magnum Chaos intercedit, inter eſſe poſſe, & eſſe re ipſa; &, vt in Scholis loquuntur, ab eſſe poſſe, ad eſſe, nulla eſt conſequutio.* Aduerſarius, ex eo quod fieri non poteſt, vt conſeruatæ ſint, argumentatur, aut nullas planè fuiſſe, aut nullas nunc eſſe traditiones. Bellarminus reſpondet nihil efficere, aduerſarium, quia potuerunt conſeruari, imò non potuerunt perire; quia non potuit Eccleſiam ſuam Dei prouidentia deſerere. Iſte interrogationem in eo ponit, vtrum de facto conſeruatę ſint, & reſponſionem tantum in eo, quod potuerunt conſeruari, vt abſurdè reſpondiſſe vir doctiſſimus videatur. Neq; videt, ineptos futuros fuiſſe magiſtros ſuos, ſi ita argumentati eſſent. Non fuerunt conſeruatæ traditiones, ergò nō ſunt. Cui enim dubium eſſe poteſt, quin conſeruatas eas aſſerat is, qui eſſe eas, nunc, ac ſemper fuiſſe in Eccleſia confirmat? quare ſi ita argumentarentur, id acciperent pro comperto, quod in controuerſia eſt. Certè ſi nihil afferant aliud, ad traditiones euertendas, niſi quod eas conſeruatas in Eccleſia ſinè vlla ratione negant; non

D magna

magna difficultate refellentur, cum nos, eodem iure conseruatas affirmauerimus.

Prioris illius fraudis, quod nimirum deprauat, atque inuertit responsiones, ex 2. controuersia exemplum afferam, immani admodum Danæi mendacio luculentum. Idque eò magis, quod improbitatem, ac malignitatem animi eius ex eo demonstrat; quod disputanti contra Arianos Bellarmino calumniam struit. Vt non defendendi sui causa, sed lædendi viri optimi studio duci Danæum satis appareat. lib.2. eius controuersiæ, ad caput 10. & 11. responsionem quandam Bellarmini summa scilicet integritate, ac fide vir, ita refert. *Capite* 10. inquit, *argumenti quarti solutio, quam affert, prorsus est, aut falsa, aut obscura; dum ait Filium etiam in diuinis generare posse, & si actu non generat, propterea quod non est opus: ergò in Filio Dei potentiam constituit, quæ ad actum reduci non potest, atque sic Deitas in Christo non est merus actus.* At Bellarmini verba in ea solutione hæc sunt. *Respondeo, generare, dicere perfectionem, sed minimè eam deesse Filio. Est enim in Filio omnis perfectio actiuæ generationis, licet ipsa actiua generatio in Filio non sit, quia non est opus.* Quæro ergò ex Danæo, actiuæ generationis nomine, actum ne generandi, an potentiam intelligat? Nam si actum generandi eo nomine significari vult; nihil aliud affirmabit Bellarminus, nisi esse in Filio perfectionem actus generandi, licet actus ipse generandi in eo non sit, quia non est opus. Si autem potentiam mauult intelligere, illud vnum affirmat Bellarminus, non esse in Filio potentiam generandi, quia non est opus, licet in eo, sit eius perfectio: quia tota perfectio personarum, ac relationum est ab essentia, quam omnes personæ æquè habent. Ita, si quis benè consideret sex hoc vnico capite, quod decimum notauimus fraudes, continentur. Quod argumenta, quæ soluuntur, non profert; quod solutiones reticet; quod dictatoriè confutat; cum nihili eas, aut falsas esse dicat; quod præterit; quod argumenta, quæ soluuntur immutat; quod solutiones ipsas deprauat; quarè, si ad nouem illas priores, sex hasce posteriores adieceris, quindecim omninò conficientur. Quibus sextam decimam eam addere possumus; quod multas ad varia argumenta responsiones confundit, ac miscet; vt scire planè nequeas, quid, aut Bellarminus, quamué probabiliter dixerit, aut Danæus euertere moliatur. Exemplum habes luculentum in 1. controu. lib. 3. ad cap.2, circa finem. *Ad quintum, sextum, & octauum,* inquit, *nostrorum*

strorum argumentum respondet, locos scripturæ, & Patrum citatos, non intelligi de sacræ scripturæ intelligentia facili. Fallitur, &c. Ita tres solutiones diuersorum argumentorum, vnica, eaque ineptissima responsione comprehendit.

11. Vndecimo loco illud numeretur, quod Danæus interdum pro se auctorem aliquem citat, sed locum subticet: vt nisi, aut dedita opera totum perlegas, aut casu incidas in id, quod citauit, diiudicare non possis, quàm aut fideliter, aut ad rem verba, ac sententiam eius laudarit. Huius fraudis exemplum illud vnum sit satis, quod habes controuersia 1. libro 3. cap. 8. initio. *Teste*, inquit, *etiam in Concilio Basileensi, Gersone; Teste magno illo Ecclesiæ Romanæ Patrono Panormitano: vel vnico, & soli laico, consentienter verbo Dei sentienti, potius credendum est; quam toti alicui vniuersali Concilio à verbo Dei scripto recedenti.* Non disputo nunc de ipsa sententia; quæro, paucasne pagellas Panormitanus, tam multorum voluminum scriptor ediderit; vt si fortè dubitem, qua fide, locum hunc Danæus citauerit; fontem ipsum consulere possim? Aut verò, tam leuis est operę, totum Basiliense Concilium perlegere, vt, si fortè locum, aut finxerit, aut peruerterit, fraudem possim facilè deprehendere? Certè locum hunc, non fideliter admodum à Danæo citari videtur mihi verisimillimum. Tam enim certum, atque indubitatum apud omnes Catholicos semper fuit, non posse Concilium œcumenicum, legitimè congregatum, ac ritè probatum, in explicandis fidei rebus errare; vt hypothesis illa, non nisi, vel à stulto, vel ab Hæretico fieri potuisse videatur. Quanquam verissimum est, si Concilium à verbo Deo discederet, satius futurum vnicuilibet rudi, atque idiotæ ex verbo Dei sapienti, quam aberranti Concilio credere.

12. Agmen hoc fraudum, ea claudat; eo fortasse maior, quo tecta, atque occulta magis: &, quod vix credas, per summæ, atque exquisitissimæ fidei simulationem fallax. Cum enim est locus aliquis ex Bellarmino citandus, non adhibet diuisionem capitum, quæ facillima est, atque in omnibus, omnium impressionum codicibus eadem; sed columnarum numerum adnotat, vt locum, quem citat, manu quodammodo, ac digito designare velle videatur. Bellarminus, inquit, columna, verbi gratia, 163. hoc, aut illud docet. Qua fraude, mendacia sua mirum in modum tegit. Cum enim multis in locis, & quidem variis formis, &

characteribus excusa sæpius, atq; recusa sint Bellarmini volumina, &, quod ego sciam, nulla nunc vsque impressio, præter Lugdunensem, columnarum numerum adnotarit; fit, vt locum, quem tam accuratè Danæus designare voluit inuenire, ac mendacij eum sui conuincere, vix vnquam possis. Quotus enim quisque est, ex tanto numero hominum, in Germania, Polonia, Vngaria, Flandria. Anglia, ad quem Lugdunenses hi codices peruenerint? Ludouicus quidem Rogerius, diligenter ab se conquisitum testatur codicem aliquem, in quo esset hic columnarum numerus adnotatus, neque inuentum in tota Polonia. Hoc fraudis genere in censuris iis, quas extremis libris adscribit, in primis vtitur; vbi plurima absurda, ac planè aliena à veritate tribuit Bellarmino; atq; vt fidem faciat columnarum numerum citat.

Danæi mendacia ex Scripturis.

CAPVT. III.

VENIO nunc ad alteram huius primæ disputationis partem, quę recensendis Danæi mendaciis continetur. In qua, tametsi plurima prætermittenda mihi sunt; multa tamen sunt necessariò numeranda. Vt cum lector Danaicum hoc solum mendaciorum feracissimum esse perspexerit: statuat ipse secum, aut quantum eorum hominum fidei credere debeat, qui Euangelij sui veritatem non nisi mendaciis tueantur; aut quale Caluinianum Euangelium esse necesse sit, quod nisi mendacio fulciatur, ruit. Sed, ne continens, neque vsquam interrupta mendaciorum enumeratio tædium lectoribus afferat; locum hunc in quatuor partes diuidemus. Prima continebit ea, quę ex Scripturis, Conciliis, ac Patribus, aut falsò citat, aut mendaciter inuertit. In secunda afferemus ea, quæ pro suorum defensione mentitur. In tertia ea, quæ aliis scriptoribus falsò tribuit. In quarta ea prosequemur, quæ Bellarmino Danæus appingit.

1. Atq; vt incipiamus à prima. Et si frequentissimum est Danæo, vt sacræ scripturæ loca extra rem congerat, quæque vix vmbram vllam habeant eius rei, quam, aut probare, aut conuellere nititur: idq; genus quoddam mendacij est, quod cum locum ad rem suam facere dicat, verba non proferat; suspicari lectores possunt, plus aliquid in eo loco contineri, quam reuera contineatur; hoc tamen totum,

né minutus, ac religiosus nimis in hoc negotio videar, homini condonabo; eaq; tantum referam, quæ clara, ac manifesta mendacia sunt. Præsertim, quod non rarò in ipso disputationis cursu occurrent sacrarum litterarum testimonia, quæ Danæus, pro sua impietate omninò extra rem citat; vt faciendæ fidei causa, in exemplis eius rei afferendis, inmorandum nobis non sit. Mentitur ergò ex scripturis Danæus 1. controu. lib. 2. ad cap. 15. in solutione primæ Bellarmini rationis; vbi, vt ostendat, postquam populus in patriam Babylone reuersus est, in publico conuentu vernacula lingua legi solitas sacras scripturas, citat cap. 8. Nehemiæ v. 3. & 9. *Vbi*, inquit, *quæ de sacra scriptura lecta fuerant, dicuntur fuisse ab ipsis, adeò fœminis, ac pueris, quo ad verba, intellecta.* Quibus in verbis duplex falsitas est. Altera, quod ait, à fœminis, ac pueris dici intellecta ea, quæ lecta fuerant, cum scriptura puerorum eo loco non meminerit. Neq; verò nullius planè momenti est, vtrum pueri quoq; intellexisse dicantur. Alienas enim linguas, viri quidem, quam mulieres, frequentius discunt: at multò rarius pueri, quam qui adulta iam ætate sunt; quia aliam ij linguam nosse non possunt, quam, qua domi loquentes, suos audierint; at grandiores iam natu fœminæ, sæpè coguntur, ex aliorum consuetudine alienas etiam linguas addiscere. Quarè, quam linguam pueri quoq; vulgò intelligunt, vernaculam eam esse necesse est. Insinuat igitur eo mendacio Danæus, vernaculam eam linguam fuisse populo, qua tunc scripturæ legebantur. Alterum in iis verbis mendacium est, quod ait, ea, quæ legebantur, dici eo loco intellecta quo ad verba. At intellecta quidem ea, quę lecta sunt, scriptura commemorat; vtrum autem quo ad verba, an quo ad sententiam nihil in iis versiculis docet. Sic enim legimus. v. 3. *Legit in eo, apertè in platea, quæ erat antè portam aquarum, de mane, vsq; ad mediam diem, in conspectu virorum, & mulierum, & sapientum; & aures omnes populi erant erectæ ad librum.* Hoc quidem loco scriptura puerorum non meminit. v. autem 8. *Et legerunt*, inquit, *in libro legis Dei, distinctè, atq; apertè ad intelligendum, & intellexerunt cum legeretur.* Ad quæ, Danæus, pro sua in Deum, atq; homines religione, ac fide, suum illud addidit. *Quo ad verba.* Quod, si quasi expressum Dei verbum protulit falsarius est: si quia hoc manifestè scripturæ verba significant; quid opus fuit addere, id, quod per se quilibet intelligeret? si quia ex ipso sermonis textu colligitur; quare rationem, qua id colligatur non indicat, sed ita loquitur, vt ea, cuilibet in scripturis mi-

nus versato, quasi scripturæ verba prolata esse videantur? Quid, quod, de rerum intelligentia sermonem ibi esse, manifestissimè ex ipso textu colligitur? Nam à mane, vsque ad meridiem, iis audiendis vniuersum populum detinuisse, quorum sententiam non intelligeret; ineptum planè fuisset. Ita ergò legebantur sacræ litteræ, vt earum etiam sententiam populus intelligeret; quarè idem planè significat, quod ait scriptura, intellexisse eos, cum legerentur; ac si diceret percepisse eos, sententiam eorum, quæ legebantur. Certè populum sententiam eorum, quę legebantur, intellexisse Danæus ipse docet eodem loco, qui ait leuitas, atque Esdram interpretatos sententiam legis, his verbis. *Interpretari,* inquit, *primum significat mentem, non linguam, & idioma scriptoris exponere. Quo sensu, & modo Christus interpretatus est locum Isaiæ, Luc. 4. atq; Esdras, &, scribæ legem inter Iudæos interpretabantur.* Quæ, cum ita sint, vnde tandem Danæus colligit, ea scripturæ verba, de verborum legis intelligentia, non de ipsa eius sententia, dicta esse?

2. Eiusdem farinę, multoq; impudentius mendacium est 1. controu. lib. 3. ad cap. 4. in quo capite Bellarminus probat ex verbo Dei, vnum aliquem in Ecclesia esse debere controuersiarum fidei iudicem; idque inter alia confirmat ex Ecclesiastæ 12. v. 11. Aggæi 2. v. 12. Malachiæ 2. v. 7. ad quæ Danæus ita respondet. *Quod ex Ecclesiastæ 12. v. 11. Aggæi 2. v. 12. Malachiæ 2. v. 7. allegatur, habet disertè in textu ipso, & manifestè, ex præscripto legis, & Dei pastoris, non ex cuiusquam hominis arbitratu, & sententia valere, & ratum esse debere id quod dicitur, docetur, definitur. Ergò ex ipsismet textus verbis, à se citatis, Bellarminus refutatur.* Quibus, vt vides, ostendit Danæus, verba illa, ex præscripto legis, ac Dei Pastoris, in ipso sacræ scripturæ textu, diserte haberi; atque ex iis manifestè Bellarminum refutari. At hæc, minimum quatuor mendacia sunt; tam est egregius artifex mendaciorum Danæus. Tria enim sunt mendacia, quia tres sacræ scripturæ locos, vocum earum adiectione deprauat: quartum quia ea ipsa verba, quæ de suo protulit, ab ipso etiam Bellarmino citari docet. *Ergò,* inquit, *ex ipsismet textus verbis à se citatis, Bellarminus refutatur.* At ea verba Bellarminus, neque in sacris litteris legit vnquam, neque in suis scriptis extare voluit. Nunc ipsa scripturarum verba proferamus, vt religiosa Danæi fides appareat. Ecclesiastes. *Verba sapientum,* inquit, *sicut stimuli, & sicut claui in altum defixi, quæ per magistrorum Concilium data sunt à Pastore vno; his amplius*

fili mi ne requiras. Vbi in his Ecclesiastæ verbis præscriptum legis? At Pastoris vnius fit mentio: ita sanè; sed in hoc quoque ipso Danæus falsarius est. Cur enim de suo addidit Deum, nomenque Pastoris vnius, quod tam ad Deũ, qui summus, ac princeps Pastor est; quam ad hominem Dei vicarium, qualis erat eo tempore, quo hæc scribebantur, summus Hebræorum Pontifex, referri potest; ad Deum sacrilega illa sua additione restringit? Quanquam si textum ipsum attentè consideres, manifestè intelliges de Pastore Dei vicario, non de ipso Deo eo loco sermonem esse. Quia enim, non quodlibet Concilium sapientum eiusmodi est, vt falli, ac fallere non possit, & cui sine hæsitatione vlla credere debeamus: de quo Concilio magistrorum loquatur; quæué Conciliorum decreta amplecti, & venerari nos iubeat Spiritus sanctus, ostendit. Ea nimirum, quæ per magistrorum Concilium data sunt à Pastore vno, quæque rata, ac firma esse summus Pastor edixerit. Quid, quod ne si admittamus quidem Danæi deprauationem, vim loci eius potest effugere? Aut enim, ex eo, quod aliunde scimus hæc magistrorum, ac sapientum verba à Deo Pastore proficisci, Concilio credi oportere vult Danæus: aut ex eo, quod sunt decreta Concilij, satis nobis certum, atque indubitatum esse ea à Deo Pastore magistrorum mentes afflante decerni. Si malle Danæus se dixerit, præcipi eo loco à Spiritu sancto, vt acquiescamus decretis sapientum, si ea à Deo proficisci aliunde constiterit; tenetur. Si enim iam certò constat, quid Deus doceat; inutile planè Concilium est ad docendum. Nam, quibus veritatis alicuius Deus auctor est, cuius quod stultum est, sapientius est omnibus hominibus; quid conferet hominum, quamuis sapientissimorum auctoritas? aut, quare commendat nobis Spiritus sanctus verba sapientium, quæ dantur per Concilium magistrorum, cum eiusdem ponderis esse necesse sit, quæ Deus, siue per sapientes, siue per insipientes, siue per homines, siue per Angelos, siue etiam, si ita collibitum fuerit, per iumenta dictauerit? Certè quæ Amos armentarius, quæ piscatores Petrus, ac Ioannes, Spiritu sancto afflante scripserunt, ea non minore in veneratione habet Ecclesia Dei, quam quæ sapientissimus Salomon, aut eruditus ad pedes Gamalielis Paulus scripsit. Quod si posterius amplecti se dixerit, vt ex eo quod decreta Concilij sunt satis exploratum habeamus, ea à Spiritu sancto proficisci; vltro ipse sese,

sese,in plagas,ac laqueos induit. Nos enim contendimus, Concilio fidem haberi oportere, quia Deus, qui Iudicum mentes regit, per illud docet, atq; administrat Ecclesiam. Quod ipsum docet eo loco Spiritus sanctus, qui iubet, quæ magistrorum Concilium decreuerit, ea, quasi à Deo edita oracula, nos amplecti. Aggæus porrò sic habet. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum, interroga Sacerdotes legem.* Certe hic, neq; Pastoris Dei, neq; præscripti legis, ad quod Sacerdotum responsa exigi debeant vlla mentio fit: Sed iubet Spiritus sanctus, quod sit legis præscriptum, ex Sacerdotibus quæri, atq; addisci. Quarè, hunc quoq; locum impudenter deprauauit Danæus. Malachiæ verò tam luculentum est testimonium, vt solum ad veritatem Danæum conuertere potuerit; nisi oculos suos comprimere, atq; occludere aures, (quod olim de Iudæis Spiritus sanctus per Isaiam cecinit) ne veritatem agnosceret, obstinatè voluisset. *Labia Sacerdotis,* inquit, *custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Vbi hic legis, vbi Dei Pastoris præscriptum, ad quod responsa Sacerdotis examines? legem, vult Propheta, ex ore Sacerdotis requiri, atq; in eius labiis conditam docet esse scientiam ad docendum: vt, & populus habeat, vndè responsa petat, & Sacerdos vnde tutò respondeat. Ac ne fortè credas, id iuris Sacerdoti tribui, quasi homini sapienti; atq; humanam scientiam esse eam, quam custodiunt Sacerdotis labia suspicère; id totum ad munus, quo Sacerdos fungitur refert. Quia Angelus, inquit, Domini exercituum est. Nam, quia eum legis suæ interpretem, ac nuntium Deus ipse constituit: hinc fit, vt labia eius custodiant scientiam; & legem, sine vllo erroris metu requirant ex ore eius. Sed quid opus est pluribus? si commode hos scripturæ locos, interpretari posse sibi visus esset Danæus, eos profectò nunquam impudenter adeò deprauasset. Nemo enim est, qui modò legere nouerit, qui non manifestè videat, nusquam iis in locis, ea verba reperiri, quæ disertè ibi legi Danæus docuerat.

3. Tertio loco illud numerarem inter Danæi mendacia, quod controu. I. lib. 4. ad caput. 10. non longè ab initio, contra non scriptas traditiones disputans scribit. *Illud mandatum est*, inquit, *ne, vel quidem latum vnguem à verbis ipsius, quæ iam scripta sunt per Apostolos recedamus. Matth. 5. v 18. Isaiæ 31. v. 16.* Cum neq; Matthæus id eo loco doceat, neq; modo, caput illud Isaiæ, quicquam tale contineat; Sed nouem omninò versibus absoluatur. Hoc inquam tertium

Danæi

Danæi mendacium numerarem; nisi,& apud Matthæum vmbram nescio quam tegendi mendacij sui inuenire posse videretur: & quod ad Isaiæ locum attinet, in typographi incuriam reiecta eius falsitatis culpa excusare hominem aliqua ratione posset; & ego liberaliter cum eo agere constituissem. Quarè tertium illud numeretur,quod habet controu.2.lib.4.ad caput 2. non longè à fine: vbi disputans pro sua illa, ac suorum ignorantia, quam sacrosanctæ Christi animæ tribuunt. *Obstat*,inquit,*locus Lucæ 2. v.40. & 52. Crescebat puer Christus,non solum ætate, sed etiam sapientia.* At sanctus Lucas non ita loquitur, neque, nisi fortè in Euangelio secundum Caluinum, vsquam reperietur scriptum, creuisse Christum sapientia. Nam v.40. *Puer*, inquit, *crescebat, & confortabatur, plenus sapientia; & gratia Dei erat in illo.* Siuè,vt quidam legunt:Crescebat,& confortabatur Spiritu; atque, (vt vertunt Hæretici) implebatur sapientia,& gratia Dei erat in illo. Hic certè crescendi verbum manifestè ad corporis incrementa, atque ætatem refertur, non ad cetera, quæ suis singula verbis explicantur. Nam Spiritu corroborari dicitur, sapientia impleri; quare reliquum est, vt crescendi verbum,ad ætatem,ac membrorum incrementum pertineat. Versu autem 52. ita legimus; *Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum, & homines.* Hîc crescendi verbum nullum planè est. Profectus autem, cuius Euangelista meminit, alias etiam interpretationes admittit, quas crescendi verbum non ita facilè patitur. At Danæus, ex v.40.crescendi verbum, ex 52. ætatem, ac sapientiam accipiens; suum quendam confinxit Euangelij locum, quo suam hæresim confirmaret.

4. Quartum huius generis mendacium, vel quartum potius locum, in quo ex scripturis mentitur Danęus,(nam eodem plura sæpè mendacia congerit) habet controu.2.lib.4.ad cap. 8. vbi confutare nititur responsionem Bellarmini ad tertium Hæreticorum argumentum. Id,quo euidentius appareat, res est paulò altius repetenda. Tertium Caluini argumentum ,quo probare nitebatur, pœnas ipsas damnatorum hominum beatam Christi animam esse perpessam; ex eo ducebatur,quod Dominus imminente iam passione, in horto timuisse,calicem deprecatus à Patre, ab Angelo confirmatus sanguine etiam sudasse narratur; quæ omnia sunt ingentis animi consternationis indicia: ergò magnum quoddam,atq; horrendum malum impendere sibi sensit, quod tantoperè exhorruit. Id autem

esse non potuit mors, & cruciatus corporis, ergo mors animi, atque Dei à se abalienatio. Alioqui, minus fortem, atque constantem Christi animum facimus, quam aut multorum Martyrum, qui exultantes ad mortem properabant, aut etiam latronum, quos nonnunquam magna constantia, ac fortitudine imperterritos mortem subire videmus. Respondet Bellarminus his verbis. *Si Christus non potuisset non timere, & coactus timuisset, meritò infirmior multis videretur. At non ita est, nam timuit, quia voluit; ceteri si non timent, vel est, quia Deus infundit consolationem maiorem, quam sit ea pœna, vel quia Diabolus obstupefacit sensum aliquorum sibi addictorum, vel quia auertunt animum à cogitatione pœnarum, & alibi eum defigunt; quamuis rarissimi isti sint. At Christus, vt copiosa esset redemptio, voluit etiam pœnam mœroris, & timoris subire.* Quam responsionem primò perperam refert Danæus. *Ait Bellarminus*, inquit, *Christum idcirco timuisse, quia voluit. Mira responsio, quasi Christus reliqua egerit inuitus.* Perperam, inquam, egregiam viri doctissimi responsionem iis verbis refert Danæus: non enim timoris causam ita refert in voluntatem Bellarminus, quasi, cum nihil esset, quod timeretur: Christus tamen timuerit, quia timere voluerit: sed negat, infirmitatis animi eum timorem fuisse, quem non impendentis mali, quamuis magni, atque horribilis facies extorsit, sed in se potius excitauit ipse, vt eo cruciaretur. Vrget deinde Danæus. *Sed aut frustra timuit*, inquit, *aut aliquid horribile, & metuendum patiebatur Christus: Si frustra, quamuis voluerit, temere timuit; quod non est animi constantis, & patientis, qualem habuit Christus. Sin autem aliquid horrendum patiebatur, quæritur quid illud fuerit.* Vbi vides, controuersum non esse inter nos, vtrum verè Christus timuerit, cum id apertè, & scriptura doceat, & Bellarminus confiteatur, & Danæus tanquam concessum accipiat, illud quæri quid tandem Christus timuerit. Pergit Danæus. *Nescit Bellarminus; discat ex Epistola ad Hebræos 5. v. 7. fuisse metum ingentem, quod se creaturam toti Dei in homines iræ, & iudicio (quod est creaturæ intolerabile) sentiebat subiectum, & ea pressum, & oppressum; nisi à Diuina ipsius natura, in illam humanam, & creatam, cui erat hypostaticè vnita, vires effunderentur.* Quibus verbis apertè ostendit Hebr. 5. v. 7. non modò dici ab Apostolo Christum timuisse; sed etiam apertè tradi, eam fuisse timoris eius causam, quod se creaturam toti Dei in homines iræ, iudicioque subiectam sentiebat. Aut ergò hoc sibi vult Danæus (quod verba eius præseferunt) disertè nimirum eius timoris

hanc,

hanc, eo loco causam assignari; & manifestè falsarius est. Hæc enim sunt Apostoli verba. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrimis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Vel, vt Hæretici peruertunt potius, quam vertunt. Exauditus est à suo metu. Quibus in verbis nulla eiusmodi causa, diserte eius timoris affertur. Aut id significare Danæus voluit, tam apertè id Apostolum iis verbis voluisse; vt, quamuis disertè non dixerit; tamen nemini eum locum legenti, dubium esse possit; quin ea sit eorum verborum sententia. At ne id quidem excusare eum potest. Cur enim, si ita est, non ipsa potius protulit Apostoli verba, quæ, & plus haberent ponderis, & rem eodem modo conficerent? Deinde hoc ipsum mendacium manifestum est, non solum, quia, cum tam multi in eam Epistolam, viri grauissimi, doctissimi, ac sanctissimi scripserint; nemo id eo loco significari antè Caluinum vnquam somniauit: sed etiam, quia clarissimum est, posse ea verba aliam interpretationem magis obuiam, magisque fluentem habere, si propriè, atque vt sonant, non vt Caluiniani volunt, metaphoricè intelligantur. Christum Dominum preces, ac supplicationes obtulisse Deo, cum corporalis mortis (quæ mortis nomine propriè significatur) horrore concuteretur, atque exauditum à Patre, eoque metu liberatum fuisse; non quia mortem effugerit; sed quia confirmatus ab Angelo, infuso cœlitus nouo in animum vigore, metum omnem excusserit. Quarè, etiam si peruersam Hæreticorum versionem admittamus, non è vestigio, is Apostoli locus hoc efficit, quod contendunt. Vnicum illud effugium Danæo reliquum est, vt dicat, id, se non ita dixisse, quasi eo loco, aut disertè contineatur, aut per se, id significari ab Apostolo statim appareat: sed quia ex eo loco necessariò colligitur. Sed ne id quidem defendere mendacium eius potest. Primò enim, cur ita loquitur, vt ipsa Pauli verba, atque expressam sententiam afferre; non sententiam suam ex Apostoli verbis colligere videatur? Deinde cum neque id, conceptis verbis Apostolus doceat, neque auditis verbis statim appareat, eam esse in eo loco sententiam Pauli: cur rationem non indicat, qua id ex eo loco colligatur? Denique, cum ea causa, neque expressa sit iis verbis, neque alia ratione colligi inde possit, quam, qua eam Caluinus ex Euangelio colligit: quid opus fuit ad locum Euangelicum illustrandum, confirman-

damque Caluini argumentationem, alterum, non magis clarum, quique eadem argumentatione illustrari ipse debeat ex Epistola ad Hebræos proferre? Certè non maiorem metum indicat clamor ille validus, & lachrymæ supplicantis, quam, quod tristem animam suam ad mortem vsque professus, cum tedere, pauere, ac mœstus esse cœpisset, humi strauit se se, & cum iam preces tertio, ac supplicationes offerret, factus in agonia, prolixius orauit; factusque est sudor eius, quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram. Neque verò, quod eo metu liberatus, atque exauditus dicitur, aduersarios magis iuuat, quam quod apparuit ei Angelus confortans eum, neque quid deprecatus à Patre sit, disertè magis Paulus explicat, cum dicit, eum, supplicationes obtulisse ei, qui possit illum à morte saluum facere: quam, cum ab Euangelistis narratur Patrem precatus, vt si fieri posset, à se calix ille transiret. Cum secundum istos æquè metaphoricè mors à Paulo dicta sit, atq; calix ab Euangelistis. Non igitur ipsum afferre Pauli locum, sed suum pro Apostolico supponere Danæus voluit; parum impium, se futurum ratus, si ita blasphemaret in Filium Dei, ac damnatorum eum cruciatibus addiceret, vt iniuriam, eadem opera Spiritui sancto non faceret, eumque in blasphemiæ suæ societatem vocaret.

Quæ ex Conciliis, Pontificibus, & Patribus, falsò citat Danæus.

CAPVT. IV.

NEQVE verò Patres, aut Concilia veritus est, sed qui eorum auctoritatem plerumque contemptim exagitat, nihil pensi habuit si scripta etiam, & decreta dilaceraret: eaq; iis affingeret, à quibus vehementer abhorrent. Ergò controu. 1. lib. 1. ad cap. 15. *Destituitur*, inquit, *in libris Machabæorum canonizandis, præcipuo suo fundamento Bellarminus, nempè Synodorum auctoritate; itaque ad paucorum priuata iudicia recurrit, quibus aliorum, veluti Hieronymi, Gelasij, Melitonis Sardicensis; item Synodorum ipsarum, veluti Carthaginensis, cui ipsemet Augustinus interfuit, (à quo tamen vult iste hos libros, pro regulâ fidei statuenda, canonicos probari,) & Laodiceni Iudicia opponimus.* Quo loco, quid Gelasius, quid Hieronymus, quid Melito, quid Laodi-

Laodicenum Concilium senserint dissimulo. Possem enim, si locus exigeret, ostendere, nihil nos eorum testimoniis lædi, sed nunc non id agimus. Insignia iis verbis tria mendacia continentur. Primum, quod negat, pro horum librorum auctoritate, Conciliorum decreta à Bellarmino proferri: sed hoc alterius loci est, ideò in præsentia dissimuletur. Alterum, quod negat à Concilio Carthaginensi, duos Machabæorum libros in canonicis numerari; cui vt maiorem etiam auctoritatem adstruat, interfuisse ei Concilio Augustinum docet. Tertium, quod satis apertè negat, ab Augustino ipso hos libros pro canonicis habitos, cum Bellarminum etiam increpet, quod velit ab Augustino eos libros in regula fidei constituenda probari. Et quidem, quod attinet ad Carthaginense Concilium, neq; quotum illud sit, neq; quo loco Machabæorum libros ex canone exploserit, adnotauit; vt in tam multis Carthaginensibus Synodis difficilius posset mendacium deprehendi. Sed tamen, cum Augustinum addidit, ipse se prodidit. Tertium illud est Carthaginense Concilium, in quo duo Machabæorum libri canonicis scripturis adnumerantur, can. 47. his verbis. *Item placuit, vt præter scripturas canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum scripturarum. Sunt autem canonicæ scripturæ, id est: Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu Naue, Iudicum, Ruth, Regum, lib. 4. Paralipomenon lib. 2. Iob vnus, Psalterium Dauidicum, Salomonis lib. quinque, lib. 12. Prophetarum, Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Iudith, Hester, Esdræ lib. 2. Machabæorum lib. 2.* Deinde enumerat libros noui Testamenti. Quod verò ad Augustinum spectat satis esset ipsa eius subscriptio, quæ extat ad finem Concilij, vt de eius sententia dubitari non possit; sed tamen miror hominis impudentiam, qui, cum expressum Augustini locum ex lib. 18. de ciuit. cap. 36. apud Bellarminum habeat, negare, aut tergiuersari audeat, aut vllam omninò facere Augustini mentionem. *Libros*, inquit Augustinus, *Machabæorum non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Atque vt intelligas, quid canonicorum librorum nomine significet, idem lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. vbi diuinarum, & canonicarum scripturarum dignoscendarum, regulam tradit, primò, deinde earum catalogum texit; rem hanc luculenter explicat his verbis. *Totus canon scripturarum*, inquit, *in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur; quinque Moyseos, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeri, Deuteronomio, & vno libro Iesu Naue, vno Iudicum, vno Libello, qui appellatur Ruth, qui magis ad*

Regnorum principia, videtur pertinere: Deinde quatuor Regnorum, & duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi à latere adiunctis simulq; pergentibus. Hæc est historia, quæ sibimet annexa tempora continet, atq; ordinem rerum. Sunt aliæ, tanquam ex diuerso ordine, quæ neque huic ordini, neq; inter se connectuntur, sicut est Iob, & Tobias, & Hester, & Iudith, Machabæorum libri duo, & Esdræ duo, &c.

2. Huic est illud persimile, quod habes 1. controu. lib. 2. ad cap. 15. in responsione ad 5. Bellarmini argumentum. Vbi disputans pro legenda in cœtu fidelium publice sacra scriptura vulgari idiomate; ait, hoc fuisse constitutum ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi, & repeti in Basileensi, sess. 19. *Hoc idem*, inquit, *Innocentius* III. *in Lateranensi Concilio constituit, extatque in c. Quoniam in plerisque, extra, de officio iudicis ordinarij, ipsius decretum; & Synodo Basileensi sess. 19. repetitum fuit.* Duplex paucis his verbis mendacium est. Alterum, quod id Innocentius constituerit; alterum, quod decretum illud Innocentij in Basileensi Concilio, sess. 19. repetitum sit. Constituit Innocentius in eo cap. vt, si quando in eadem ciuitate Populi sunt diuersarum linguarum, & rituum; curet Episcopus ciuitatis, vt suus cuique ritus, & lingua seruetur, qua diuina officia celebret. Sed vtrum ea lingua vulgaris sit eius populi, an litteralis, Innocentius non loquitur. Sunt in eadem ciuitate, verbi gratia, Latini, & Græci, vti in ea nunc Græciæ parte, quæ Venetæ ditioni paret. Iubet Lateranense Concilium, Græcos Græcè, Latinos Latinè diuina officia celebrare, neque cogi, aut hos Græco, aut illos Latino idiomate, ac cæremoniis sacra peragere. Cæterum, & Græci, non vulgari, ac vernaculo, sed litterali suo; & qui ad Latinam Ecclesiam spectant, Latino, non Italico idiomate in rebus diuinis vtuntur. Neque morem hunc aboleri vnquam Romana Ecclesia, sed studiosè seruari, Romæ etiam, atque Anconæ voluit, quod oppidum est Pontificiæ ditionis maritimum, in quo oppido Græci negotiatores versantur. Decreti eius hæc verba sunt. *Quoniam in plerisque partibus intra eandem ciuitatem, atque diœcesim permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus, & mores: districtè præcipimus, vt Pontifices huiusmodi ciuitatum, siue diœcesum sibi prouideant viros idoneos; qui secundum diuersitatem rituum, & linguarum, diuina illis officia celebrent, & Ecclesiastica Sacramenta ministrent.* Vbi hîc vlla vulgaris idiomatis, aut vernaculæ linguæ mentio? An verò si Græcis hominibus secundum ritum Orientalis Ecclesiæ,

Græco

Græco litterali idiomate, Latinis, Latina lingua diuina officia celebrentur; non celebrantur officia diuina, secundum diuersitatem linguarum,& rituum? Et excusari fortasse posset Danæus, quod parum in rebus Ecclesiasticis versatus, æquiuocatione vocis deceptus sit, dum diuersitatem linguarũ ad vernacula idiomata transtulit; nisi ad eius rei confirmationem addidisset hæc verba. *Imò verò etiam nunc obseruatur, à Ruthenis, Ægyptiis, Æthiopibus, Syris, Græcis, & aliis, teste hoc col.122.* Qui locus est in cap. 6. extremo, vbi Bellarminus refert argumentum Hæreticorum, qui ex eo, quod Morauis permissum est, vt Sclauonica lingua diuina officia celebrent; & præterea nunc Rutheni, Armeni, Ægyptij, Æthiopes,& nescio qui alij populi vulgari lingua celebrant, ex hoc inquam, colligebant debere vulgari lingua id fieri. At Bellarminus, quia exemplum Schismaticorum, aut Hæreticorum hominum etiam si verè proferretur, causę fidei, nihil officere poterat; non affirmat ille quidem ita esse, sed negat se eo commoueri. *Respondeo,* inquit, *exemplis Ruthenorũ, Armenorum, & similium, non magis nos moueri, quam moueamur exemplis Lutheranorum, Anabaptistarum, & Caluinistarum.* Hoc igitur primum mendacium est, quod de quo ille disputare noluit; quia etiã si verum esset, causæ Ecclesię Catholicę nihil incommodabat; id ab eo cõcedi mentitur. Alterum illud mendacium est, quod Gręcos,& Syros, in eo numero ponit; quorum neutros Bellarminus nominauit. Tertium est, quod id de Græcis affirmat, ꝙ omninò falsum est. Nam Græci, non vulgari, ac vernacula, sed antiqua,& litterali lingua in rebus diuinis vtuntur. De quibusdam Syrię populis, vt de Maronitis, qui Libanum montem incolunt, compertum mihi est, eos, cum Arabicè vulgò loquañt, Chaldaicè, q̃ litteralis apud eos lingua est, sacra facere, ac laudes diuinas in cœtu fideliũ decantare. Itẽ de ceteris eius Regionis incolis accepi. Ruthenos itẽ alia lingua in reb. Ecclesiasticis, alia in cõmuni loquẽdi consuetudine, ac sermone quotidiano vti, prodidere nonnulli. Ego neutrũ affirmare ausim, quia nõ tam certis auctorib. comperi. Quarè cum tã, vel de ignotis sibi reb. temerè loquatur, vel mentiatur de notis Danęus: ęquiuocatione illa rituũ, ac linguarũ excusari nõ potest. Præsertim cũ tam illustre mendaciũ adiecerit, de repetito eo decreto in Concilio Basileensi, sess.19. in qua nihil continet aliud, nisi legatio Latinorũ ad Græcos,& Græcorũ ad Latinos, de celebrando, ad vnionẽ Ecclesiarum Concilio; & decreta, tum de Concilij celebratione, tum contra Iudęos. Quarè cum quatuor aliis, iisq;

mani-

manifestis mendaciis primum illud confirmarit; non facilè erroris excusatione poterit primi mendacij suspicionem auertere.
3. Libro eiusdem controuersiæ 4. ad caput 10. dum infirmare Bellarmini ad Hæreticorum argumenta responsiones nititur; integrum mendaciorum aceruum affert Danæus. Disputatur eo loco, vtrum præter sacras scripturas, sit in Ecclesia verbum aliud Dei non scriptum, voce tenus ab Apostolis traditum, atq; ad hæc vsq; tempora in Ecclesia conseruatum. Negant aduersarij, affirmat Ecclesia Catholica. Ceterum, certissimum est apud omnes, tum Catholicos, tum Hæreticos, nullius scriptoris, aut scripti tantam esse auctoritatem, quanta est scripturæ canonicæ atq; Apostolicæ doctrinæ; quocunque demum modo illa tradita fuerit, dum constat ab iis profectam. Illud item inter nos conuenit, quando sacræ litteræ clarè, atq; disertè aliquid tradunt, nihil aliud, quantum quidem spectat ad id, quod ita traditur, quæri debere ad fidei regulam. Hæc breuiter notasse opus fuit, quo manifestius Danæi mendacia teneantur. Is igitur ad caput 10. initio, contra traditiones non scriptas, his verbis, pro se citat Beatum Augustinum. *Augustinus*, inquit, *libro 11. contra Faustum, cap. 5. De Vnitate Ecclesiæ, capite 3. lib. 3. contra litteras Petiliani cap. 6. Epistola 19. & 111. & libro de bono viduitatis, cap. 1. solam sacram scripturam nostræ fidei regulam esse docet.* Ex quibus omnibus locis, si vnum excipias, ex libro 3. contra litteras Petiliani, qui difficultatem aliquam habere videri potest, quemq; ex Kemnitio attulit eo capite Bellarminus, §. Primum igitur; & soluit ex alio Augustini loco, §. Sanctus Basilius. (quanquam totam eam rem more suo, dissimulauit Danæus;) cum, inquam, locum si excipias, nullus est, quem non falso protulerit. Quod, priusquam verba sancti Augustini proferam, ea, qua soleo ratione confirmo. Aut vult Danæus, hæc ipsa verba in iis Augustini locis reperiri; aut aliis quidem verbis, sed ita apertis, ac manifestis eam sententiam repeti, vt de Augustini sententia controuersia esse non possit: aut certè id tantum contendit ex iis locis hoc colligi. Quodcumq; horũ dixerit, mendacij manifesti conuincitur. Nam totidem verbis, ea res in nullo eorum locorum reperitur, vt mox prolatis ipsis eius verbis planum faciam: quarè manifestæ falsitatis conuincitur. Sin, id voluisse se dixerit, colligi ex iis Augustini locis. Primò, cur non docet, qua ratione colligat, vt videre possimus, quàm id necessaria consequutione concludat? Deinde, cur id quidem certè non indicat, sed ita loquitur, quasi hoc expres-

expressum in Augustini litteris habeatur? certè si id disertè dici ab eo significare vellet, satis significasse videretur, si diceret, Augustinus hoc docet. Deniq; cuius fidei est, ratiocinationes suas ꝑ Augustini doctrina nobis obtrudere? Restat igitur, vt dicat, eandem planè sententiam, quanquam aliis verbis in iis Augustini locis contineri. Hoc autem manifestum mendacium esse, ex chirographo, vt aiunt, demonstro. Atq; vt incipiamus à primo. lib. 11. contra Faustum cap. 5. tantum ait, in libris non canonicis, quos posteri scripserunt, aut errores reperiri aliquando posse, aut etiam si veritatem contineant, non eiusdem tamen esse auctoritatis, cum libris canonicis. *Quod genus litterarum*, inquit, (de aliorum libris loquens,) *non cum credendi necessitate; sed cum iudicandi libertate legendum est. Cui tamen, ne intercluderetur locus, & adimeretur posteris, ad quæstiones difficiles tractandas, atq; versandas, linguæ, ac styli saluberrimus labor: distincta est à posterorum libris excellentia canonicæ auctoritatis Veteris, & Noui Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus, per successiones Episcoporũ, & propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est; cui seruiat omnis fidelis, & pius intellectus.* Et ibi plura in hanc sententiam. Vbi vides, nihil ab Augustino dici de eo, quod in controuersia positum est. Alter locus est, de vnitate Ecclesiæ. cap. 3. vbi ait Augustinus, frustra inter Donatistas, & Catholicos contendi, vtrum aliqui eorum Episcoporum, quos Donatistæ falso accusabant, quod sacros libros infidelibus tradidissent; scelus id admisissent, an secus: quia non ex eo iudicandum esset, quæ esset vera Ecclesia, sed ex scripturis sacris, quæ docent, quæ sit vera Ecclesia. Ita ad finem capitis 2. *Si ergò*, inquit, *talis est causa nostra in verbis nostris de quorundam criminibus, quæ alternis nobis obiicimus; vt tam inuicta sit, etiamsi falsa esse, quæ in quosdam illorum dicimus, & vera, quæ in quosdam nostrum dicunt, hodie agnoscamus; quid habent, quod respondeant? &c.* Tum caput 3. his aggreditur. *Sed vt dicere cœperam, non audiamus hæc dico, hæc dicis, sed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certè libri diuini, quorum auctoritati vtriq; consentimus, vtriq; credimus, vtriq; seruimus; ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* Certè ne hîc quidem docet Augustinus solam scripturam in omnibus esse fidei regulam, sed ab humanis contentionibus, prouocat ad libros sacros, in causa Donatistarum, qui sine vlla vtilitate contendebant de librorum traditoribus, & ordinatoribus Maiorani, quæ neq; si vera essent officere; neq; si falsa essent, poterant iuuare cau-

ſam, de qua tunc agebatur. Quartus locus, (nam tertium iam ante diximus allatum à Bellarmino, ac ſolutum fuiſſe) eſt ex Epiſtola. 19. quæ eſt ad Hieronymum, in qua apertè comparat auctoritatem librorum canonicorum, cum aliorum ſcriptorum litteris, aitque nulli ſe alteri ſcriptori, hunc honorem deferre, vt errare eum non potuiſſe, exiſtimet. *Ego, inquit, fateor charitati tuæ, ſolis eis ſcripturarum libris, qui canonici iam appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre; vt nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſsimè credam. Ac ſi aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati; nihil aliud, quam, vel mendoſum eſſe codicem; vel interpretem non aſſequutum eſſe, quod dictum eſt; vel me minimè intellexiſſe, non ambigam. Alios autem, ita lego, vt quantumlibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant; non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi, vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi frater, ſentire aliquid aliter exiſtimo: prorſus, inquam, non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum, vel Apoſtolorum.* Certè, ne in his quidem, ſancti Auguſtini verbis, quicquam contra non ſcriptas traditiones continetur. Quintus locus eſt ex Epiſtola 3. vbi eodem modo, de eadem planè re loquitur his verbis. *Neque enim quorumlibet diſputationes, quamuis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut ſcripturas canonicas habere debemus: vt nobis non liceat, ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, ſi fortè inuenerimus, quod aliter ſenſerint, quam veritas habet, diuino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum.* Vbi in his verbis illa Auguſtini à Danæo citata ſententia, ſolam ſacram ſcripturam eſſe regulam noſtræ fidei; ita, vt non ſcriptæ traditiones excludantur? Sextus denique locus eſt in libro de bono viduitatis cap. primo, in quo nonnulla de eius opuſculi vtilitate præfatus, de doctrina, quam traditurus eſt ita diſputat. Non aliam ſe doctrinam allaturum, quam eam, quam de eo argumento Apoſtolus tradidiſſet: Quia ſacra ſcriptura hanc nobis præfigit docendi regulam, ne ſapere velimus, plusquam oportet; ſed ad ſobrietatem ſapiamus. Eſſet autem velle plus nimio ſapere, de re, quam apertè Spiritus ſanctus docuit in ſcripturis, ita diſputare, vt iis relictis, quę Deus docuit, tua comminiſci velis, aut ad ea aliquid de tuo adii-

cere

cere audeas. *Quid amplius*, inquit, *te doceam, quam id, quod apud Apostolum legimus? sacra enim scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere, plusquam oportet, sed sapiamus, sicut ipse ait, ad temperantiam, sicut vnicuique Deus partitus est mensuram fidei. Non sit ergò mihi aliud te docere, nisi verba tibi Doctoris exponere, & de iis, quod Dominus dederit disputare. Ait itaque Apostolus Doctor Gentium, vas electionis. Dico autem innuptis, & viduis, bonum esse illis si sic permanserint, sicut & ego.* Quo loco, sine dubio, quando ait, nihil aliud se docturum; quam, quod apud Apostolum legimus; de proposita re intelligit, hoc est, de viduitatis bono. Quare etiam cum dixisset, non futurum sibi aliud docere, nisi verba Doctoris exponere, & de iis, prout dedisset Dominus disputare, statim subiecit Apostoli de viduitate doctrinam, quam in tota tractatione expositurum se est pollicitus. Porrò verba illa, in quibus vim facere videtur posse Danæus, (sacra scriptura, doctrinæ nostræ regulam figit) aliquid fortasse facere viderentur, nisi, quænam ea regula sit explicasset, ne audeamus sapere, plusquam oportet sapere; sed sapiamus, vt ipse ait, ad temperantiam. Quarè, cum hæc sit huius loci aperta sententia, sacra scriptura hanc nobis regulam figit, ne plus sapere velimus, quam opus est; esset autem plus nimio velle sapere; si cum apertam habeam Apostoli de bono viduitatis doctrinam; aut adiicere ipse de meo auderem aliquid, aut ea prætermissa, aliqua alia docere te vellem. Hæc, inquam, cum sit eius loci sententia, in iis Augustini verbis: quod Danæus pollicitus est, neque apertè continetur; neque verò facilè ex iis colligi potest. Aliud est enim, non audere debere, vbi scriptura de re aliqua apertè loquitur, vllum hominem aut de suo adiicere aliquid, aut etiam, diuinis oraculis omissis, sua comminisci, quod eo loco damnat Beatus Augustinus; aliud, quicquid ad fidem nostram, cultumque diuinum pertinet, ita in scripturis expressum esse, vt nihil præterea traditum ab Apostolis fuerit: quod Danæus contendit, his Beati Augustini testimoniis apertè monstrari. Quare tribus his lineis non quinq; Augustini testimonia, sed quinque Danæi mendacia continentur.

4. Controuersia 2. lib. 2. ad cap. 7. non vt causæ suæ faueat, aut etiam officiat nostræ; (nam de re, quæ ibi traditur conuenimus) sed Lateranensis Concilij, & Scholasticorum odio, mentitur

Danæus. Quoniam enim Lateranense Concilium sub Innocentio III. definiuit; Essentiam in diuinis, non generare, aut generari, sed personam; eamq; sententiam tribuit Petro Lombardo, Magistro sententiarum: Danæus, vt Concilio aduersaretur, atque eius veritatis explicatæ, gloriam Scholasticorum Magistro eriperet; ad Beatum Augustinum falsò transferre voluit. *Non essentia essentiam,* inquit, *sed persona personam gignit. Quæ distinctio, solutioq; non à scholasticis primis inuenta, seu sententiariis, (inter quos se accenset Bellarminus) reperta; sed à sanctißimo Patre Diuo Aurelio Augustino, pœnè antè Lombardum, & sententiarios natos, septingentis annis allata, quemadmodum ex illius lib. 5. de Trinit. cap. 5. 6. 7. & sequentibus apparet, ne hanc laudem Augustino præripiat Bellarminus, in suos autem perfide transferat.* Quibus verbis non modo mentitur, quod ita loquitur, quasi Bellarminus eius veritatis explicatæ laudem tribuat Magistro sententiarum, cum de eius auctore, quia non faciebat ad rem, non disputarit; verum etiam, quia Beatum Augustinum eius auctorem facit. Quod vt planum fiat, quæro ex Danæo, cum distinctionis eius inuentæ laudem tribuit Augustino; quænam ea distinctio sit, relationis ne, ac personæ à natura, atq; essentia diuina; an vero hæc, quod non essentia, sed persona generatur, aut generat? prius illud in iis Augustini capitibus inuenitur, & quidem explicatum egregiè, vt tanto ingenio dignum fuit: sed antè Augustinum relationem, atq; proprietatem personalem ab essentia distinxere, quotquot de Trinitate scripserunt Catholici Patres, Basilius, Nazianzenus, Nyssenus, & reliqui. quarè, si in eo, inuentę huius rei laudem ponit, aliis antè Augustinum tribuenda fuit, eamq; ipse aliis præripit, vt Augustino perfidè tribuat. Sin autem distinctionem, atq; solutionem hanc vocat, quod non essentia, sed persona, generatur, aut generat, profectò manifestè falsarius est, quia in iis capitibus hoc Augustinus non asserit. Quod si dixerit, ex iis, quæ Augustinus eo loco docet, hoc colligi. Primò quidem nos præter collectionis eius, & veritatis, quæ prius in principiis fidei obuoluta latebat, explicatæ, atq; probatæ gloriam, nihil Petro Lombardo tribuimus. Deinde, cur Augustino potius, quam reliquis, qui antè eum scripsere Patribus, cur vlli Patrum, potius quam Euangelistis ipsis, atq; Apostolis, à quibus ea omnia accepimus, ex quibus hæc, & similia necessaria consequutione conclusimus, Danæus tribuere maluit?

5. Neq; simplici, neque verecundo mendacio, illustris est locus in

1. con-

1.controu.(redeundum enim eodem eſt,prout ſeſe obtulerint) lib. 4.ad cap.7.quo in cap. traditiones non ſcriptas Patrum teſtimoniis probat Bellarminus. Quæ teſtimonia, vt eſt egregius Dialecticus, vnica diſtinctiuncula diſiicit Danæus: cum ſermonem apud Patres eſſe dicat,de ſola Eccleſiæ politia,non de dogmatibus; idq; vt confirmet,allegat pro ſe Nazianzenum,Baſilium,Chryſoſtomum,Tertullianum.*Quæ Patres dicunt,*inquit,*de traditionibus ſanctis, minimeque ſuperſtitioſis,in quibus de ſola Eccleſiæ politia, vt docet Gregorius Nazianzenus orat.*1.*contra Iulianum, Baſilius de Spiritu ſancto cap.*27.*Chryſoſtomus hom.*69.*ad populum,Tertullianus libro de corona militis,& alij. & diſciplina agitur, traducit Bellarminus ad articulos fidei, quos ex traditione non ſcripta rectè inſtitui,ac condi poſſe cenſet peſſimè.*Quibus verbis apertè affirmat Danæus, Patres hos, auctores eſſe, traditiones ad diſciplinam tantum, non etiam ad dogmata pertinere: Bellarminum verò affirmare, poſſe articulos fidei condi,atq; inſtitui, ex traditione non ſcripta. Quaſi verò non ſcripta traditio Apoſtolica, aut de nouo incipiat,aut cum cœperit ab Apoſtolis, de nouo tamen articulos fidei condat. Quod neq; Bellarminus vnquam, neq; quiſquam ſanæ mentis affirmauit. Ab Apoſtolis fidem accepimus, ſiue viua voce,ſiuè ſcripto traditam: tunc reuelatio per eos Eccleſiæ facta eſt,eorum articulorum,quos nunc quoq; fides Chriſtiana complectitur; ſed vt diſcernamus, qui verè ſint articuli fidei, quoſdam ad ſcripturarum oracula, quoſdam ad Apoſtolicæ traditionis normam exigimus,de quibus ſcriptura, aut non loquitur; aut obſcurè loquitur. Atq; hoc obiter notatum ſit Danæi mendacium. Iam quod ad Patres attinet,de quibus hoc loco ex inſtituto agimus: impudens mendacium eſt,quod Nazianzenum pro ſe citat. Certè, vt Bellarminus eo capite adnotauit,modum imponendæ pœnitentiæ, Monachatum,virginũ cœnobia,inter traditiones non ſcriptas Gregorius eo loco numerat. Quæ cum nos diuinitus inſtituta,atq; ab Apoſtolis Eccleſiæ tradita,ob eamq; rem non niſi impiè, atq; hæretico ſpiritu damnari,ac reiici dicimus; iſti pœnitentiæ, ſanctitatis, & pudicitiæ hoſtes in nos fremunt. Deinde cum politiam Eccleſiæ dixit Gregorius traditione non ſcripta in Eccleſia conſeruari; regiminis formam eo vocabulo intellexit; hoc enim πολιτεία Græcè ſignificat. Quæro igitur ex Danæo, concedat ne traditiones non ſcriptas, de forma Eccleſiaſticæ adminiſtrationis ab Apoſtolis eſſe profectas. Certè,cum de ſummo Pontifice, deque Epiſcopis

disputamus, traditiones non scriptas, & alij eius similes abiiciunt, & ipse in primis auersatur. Et verò spectare ad articulos fidei, aristocratica ne, an democratica, an Monarchica administratio Ecclesiæ esse debeat, ne aduersarij quidem inficiantur. Ita igitur mentitur Danæus, vt mendacium ipse suum prodat. Iam quod attinet ad Basilium, quam est aperta eius eo loco sententia, tam impudens Danæi mendacium. *Dogmata*, inquit, *quæ in Ecclesia seruantur, ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recepimus. Quæ vtraque, eandem ad pietatem vim habent: & nemo his contradicit, qui vel modicam saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet.* Ibique multas deinde traditiones non scriptas commemorat; inter quas ad finem capitis numerat fidem in Patrem, ac Filium, ac Spiritum sanctum. *Omitto*, inquit, *reliqua, ipsam fidei confeßionem, quod credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ex quibus scriptis habemus?* Aut igitur Trinitatis confessionem, ac fidem, neget Danæus, ad fidei articulos pertinere; aut Basilium, à se falsò prolatum pro se esse concedat. Quid verò, quam inuerecundè hoc idem de Chrysostomo affirmat? cum is non modò loco à Bellarmino citato doceat patere, quod non omnia per Epistolā tradiderint Apostoli, sed multa sine litteris, eademque fide digna esse, tam ista, quam illa; ex quo satis ostendit vtraq; credi debere, & quidem eodem modo, cum non modo, inquam, hęc eo loco doceat, sed etiam in homi 69. ad populum, quam pro se Danæus citat ita loquatur. *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremēdis mysteriis defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam.* Hoc ne igitur etiam ad disciplinam, non ad dogmata spectare dicturus est Danæus? neq; ad articulos fidei pertinere, vtrum viuorum orationibus mortui adiuuentur? à quo dogmate ita abhorrent parentes, ac fratres impietatis eius: vt explodendi eius causa, è canone scripturarum posteriorem Machabæorum librum exploserint.

Simile est quod dicitur de Tertulliano, qui lib. de corona Militis, vt probet traditiones in Ecclesia non scriptas esse, atq; admitti debere, multa numerat, quę sine vllo scripto sola Ecclesię consuetudine, ac traditione confirmantur. inter quę recenset, ꝙ cum Dominus omnib. dixerit, Accipite, & comedite, idq; conuiuij tempore: tamen non nisi in matutino Ecclesiæ conuentu Eucharistiam, ac de manu Sacerdotis accipimus: Quod oblationes offerimus pro defun-

ctis

ctis,ac pro natalitiis annuas. *Eucharistiæ sacramentū*,inquit, *& in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino; etiam ante lucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus, &c.* Hæc ne etiam ad externā disciplinam,non ad dogmata spectant? aut cum hæc Tertullianus doceat,de externa tantum loquitur Ecclesię disciplina, voce non litteris tradita? Ita hic quoq; Danæi locus quinque mendaciis illustris est cum ad quatuor Patrum perperàm, atq; omninò falsò allata testimonia,illud quoq; addiderit, quamuis paulo tectius, quod doceat Bellarminus condi, & constitui de nouo articulos fidei.

6. Possem sextum locum ex eodem proferre capite: vbi cum nihil pendere se Patrum auctoritatem ostendisset,ꝙ necesse non sit,si quid ipsi affirmarint,verum esse: Respondit tandem abusum Bellarminum æquiuocatione nominis traditionum, quod cum Patres ad scripta dogmata referrent,Bellarminus ꝓ non scriptis traditionibus proferat. Quo in eius dicto tot sunt mendacia quot Patres ad eam rem citat Bellarminus: qui expresse de traditionib. non scriptis, sed voce tantū commendatis loquuntur. Sed parco ne nimis accuratus in Danæi mendaciis enumerandis videar. Ipsum potius ad inferos deducamus. Sextus igitur locus sit contr. 2. lib. 4. ad cap. 8. paulo ante finē, vbi de descensu Domini ad inferos disputat pro Caluini blasphemia, & quinti hæreticorum argumenti solutionem euertere conatur. Quam quia S. August. auctoritate fultam videbat. *Quam fuerit varius*, inquit, *in ea re Augustinus, & incertus animi apparet, cum ex eius Epistola 99. tum ex ser. 157. de tempore, sui sæculi iam errore abreptus.* Quibus verbis ostendit, Beatum Augustinum in his duobus locis hærere, ac dubitare quid de Domini ad inferos descensu dicendum sit: cum Augustinus dubitet quidem quo modo intelligendum sit, quod docet Petrus, Dominum iis spiritibus, qui in carcere erant prædicasse, & quidem nominatim iis, qui increduli fuerant in diebus Noë. Sed descendisse eum verè ad inferos tam certum esse dicit, vt nemo, nisi infidelis negare possit. *Et Dominum quidem*, inquit, *carne mortificatum venisse in infernum, satis constat. Neque enim contradici potest, vel Prophetiæ, quæ dixit: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, quod, ne aliter quisquam sapere auderet, in actibus Apostolorum idem Petrus exponit: vel eiusdem Petri illis verbis, quibus eum asserit soluisse inferni dolores, in quibus impoßibile erat, eum teneri. Quis ergo, nisi infidelis negauerit fuisse apud inferos Christum?*

Hæc

Hæc Augustinus, quæ si dicere est incertum animi, ac varium esse, nihil credis Danæe, de quo non incertus animi, ac varius sis. Sermone verò illo 137. de tempore, si modo Augustini is est, tam, non modo apertè eius ad inferos descensum, ac reditum, sed magnificè triumphum, ac victoriam prædicat, atq; describit: vt eum pro se afferre non mentiri fuerit, sed insanire. *Tunc*, inquit, *Dominus noster Iesus Christus illum tenebrarum, & mortis principem colligauit, legiones illius perturbauit, portarum inferni vectes ferreos confregit, omnes iustos, qui originali peccato adstricti tenebantur, absoluit, captiuos in libertatem pristinam reuocauit.* Et infra: *cum tenebrarum terminum, quasi quidam deprædator splendidus, ac terribilis attigisset aspicientes eum impiæ, ac tartareæ legiones, territæ, ac trementes inquirere ceperunt, dicentes. Quisnam est iste terribilis, & niueo splendore coruscus? &c.* ad finem vsque sermonis. Ita non Augustinus incertus, & varius, sed Danæus impius est, & mendax.

7. His illa subtexam, quæ libro eodem ad caput 13. de eodem argumento pari impudentia, aut mentitur, aut calumniatur non longe à fine, vbi de Bellarmino ita scribit. *Fingit*, inquit, *Petrum somniare nescio quos Lymbos, animam Christi collocare post mortem, eamque deducere ad inferos damnatorum, vnde nulla est redemptio, prædicare pœnitentiam mortuis, seruare planè damnatos (quia & Gregorius magnus per primam missam, quam cantauit, vt istorum fabulæ narrant, saluauit ex inferis animam Traiani Imperatoris Romani) contra Dei Patris, suumq; ipsius decretum; deniq; fuisse in inferis damnatorum, quæ & blasphema sunt, & ab Augustino, Hieronymo, & aliis Patribus euersa.* Quo loco plura ferè mendacia sunt, quam verba. Primò mentitur, quod ait auctore Bellarmino Petrum deducere animam Christi ad inferos damnatorum, 2. quod ait eodem teste prædicasse pœnitentiam hominibus mortuis 3. quod ait ex Bellarmini interpretatione aliquos plane damnatos fuisse tunc à Christo liberatos 4. quod innuit in huius rei confirmationem afferri à Bellarmino exemplum Gregorij Papæ, qui per primam missam damnatam Traiani Imperatoris animam liberarit. 5. deniq; quod ait ea, quæ numerauit euersa, atq; damnata iam olim fuisse à Patribus, in primisq; ab Augustino, atq; Hieronymo. Nam etsi multa ex iis damnata reuera sunt à Patribus: tamen lymbus, siue locus subterraneus, in quo iustorum animæ interim detinerentur, dum pro iis Christus pretium solueret, Patres non damnant, sed magna consensione concedunt. At Danæus omnia ea,

nia ea, quæ numerauerat, à Patribus damnata fuisse commemorat, idque eum sibi voluisse, ipsa eius oratio indicat. Quia post enumerationem illam, in qua disertis verbis lymbum, & quidem vt fictitium quippiam comprehendit, absolute & sine vlla exceptione, ita subiecit. *Quæ & blasphema sunt*, inquit, *& ab Augustino, Hieronymo, ac reliquis Patribus euersa.* Et quidem, quod ad cætera mendacia attinet, quia hic eorum reuincendorum locus non est, explicata breuiter Bellarmini sententia detegentur. De Quinto autem, cuius hic proprius locus est, paulò pluribus disputabo.

Docet ergo Bellarminus, cum Beatus Petrus epistola prima cap. 3. ita scribit, *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autē spiritu, in quo ijs, qui in carcere erant spiritibus, veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe.* Docet, inquam, Bellarminus, cum Beatus Petrus ita scribit. sic intelligi oportere. Christum vt nos redimeret corpore mortuum, viuum tamen spiritu perstitisse, atque in eo spiritu venisse, vt prædicaret, hoc est redemptionis, & liberationis Euangelium ijs spiritibus nunciaret, qui in lymbo, tanquam captiui in carcere, detinebantur, dum soluto redemptionis pretio, soluerentur, interque eos, nonnullis id nunciasse ex ijs, qui increduli fuerant in diebus Noe, dum fabricaretur arca, sed tandem cum eluuione obrui terram viderent, quam tanto antè tempore per Noeum comminatus erat Deus, ad se reuersi priusquam aquis exstinguerentur pœnitentiam egerant, atque ex hac vita Deo reconciliati excesserant. Hæc est loci illius obscurissimi luculenta admodum, ac maximè fluens Bellarmini interpretatio, in qua quos descensus ad inferos damnatorum, quas pœnitentiæ prædicationes, quas liberationes ab inferis somniet Danæus, non video. Nam quod de prima Gregorii magni missa commemorat id planè de suo Danæus addidit. Cum eius rei, ne vestigium quidem vllum, sit apud Bellarminum. Atque hæc de primis quatuor mendaciis breuiter.

Vltimum non simplex, & vnum est, sed minimum duplex, duos enim Patres nominatim profert, à quibus lymbum euersum esse dicit: vtrumque falsò. Nam præter ea, quæ ex Beato Augustino paulò ante protulimus epist. 99. & serm. 137. de temp. exstant duo eius de lymbo Patrum insignia testimonia, quæ Bellarminus indicauit, licet verba non protulerit, quorum alterum nobis protulisse

sufficiet. Nam in Psalm. 85. explicans illa verba Eruisti animam meam ex inferno inferiori, ait, nomine inferni inferioris, intelligi commodè infernum damnatorum, superioris nomine infernum, in quo detinebantur animæ iustorum, quia & si Abrahamum fuisse in inferno ante Domini aduentum satis scimus: non tamen benè ex eo colligimus, eum fuisse in eodem inferno cum damnatis. Atque vt probet non in eodem inferno Abrahamum cum damnatis fuisse. *Non dum enim*, inquit, *Dominus venerat ad infernum, vt erueret inde omnium sanctorum præcedentium animas: & tamen Abraham in requie ibi erat. Et quidam diues, cum torqueretur apud inferos, cum videret Abraham, leuauit oculos. Non enim posset leuatis oculis videre, nisi ille esset superius, ille inferius. Et quid ei respondit Abraham? cum diceret, Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat digitum suum, & stillet in linguam meam, quoniam crucior in hac flâmma. Fili ait memento, quia recepisti bona in vita tua, Lazarus autem similiter mala. Nunc autem hic requiescit, tu vero torqueris. Et super hoc ait, inter vos, & nos magnum chaos firmatum est: vt, nec nos possimus venire ad vos, nec inde aliquis venire ad nos: ergo inter ista duo fortasse inferna, quorum in vno quieuerunt animæ iustorum, in altero torquentur animæ impiorum, attendens quidam, orans, hic iam in corpore Christi positus, & orans in voce Christi, eruisse Deum animam suam ex inferno inferiore dixit.* Hæc Beatus Augustinus, magnus ille, si Deo placet, euersor lymbi, & Caluinianæ blasphemiæ propugnator. Nunc Hieronymum audiamus, alterum lymbi, si Danæo credimus, euersorem. Is in cap. 3. Ecclesiastæ, explicans ea verba. Similis est interitus hominum, & iumentorum. *Hoc dicit*, inquit, *non quod animam putet perire cum corpore, vel vnum bestiis, & hominum præparari locum: sed quod ante aduentum Christi omnia ad inferos pariter ducerentur. vnde & Iacob ad inferos descensurum se dicit, & Iob pios, & impios in inferno queritur retentari, & Euangelium chaos magnum interpositum apud inferos, & Abraham cum Lazaro, & diuitem in suppliciis esse testatur.* Et ibi plura in hanc sententiam. Quo loco, vides ex Hieronymo pios, & impios in inferno detentos, ita tamen, vt inter vtrosque magnum chaos intercederet, illi cruciarentur, isti cum Abraham requiescerent. Ita hoc, ac superiore capite numerauimus Danæi mendacia ex sacris literis minimum septem, ex conciliis tria, ex Patribus sex decim, hoc est, omnino sex, & viginti. Quibus si nouem alia addas, quæ obiter animaduertimus, erunt quinque supra triginta.

Danæi pro Hæreticis mendacia.

CAPVT V.

OMITTO quæ contr.p. lib. 4. ad cap. 3. pro Kemnitio plurima mentitur, de traditionibus Apostolicis: quo loco mentiendi palmam Kemnitio præripere non eum defendere videtur voluisse. Quem tanquam hæreticum vbiquetarium alibi auersatur. Ea mendacia,& si pro Kemnitio scribit, omitto tamen quod eo loco non pro Kemnitio scribere, sed contra Bellarminum, ac traditiones Apostolicas debacchari videtur, itaque eum locum alibi fortasse discutiemus. Controuersia 2. ad præfationem Bellarmini, Lutherum progenitorem suum, quem accusauerat Bellarminus, quod vocem ὁμοούσιον improbaret, ita defendit. *Procul dubio*, inquit, *ineptissimus calumniator apparet Lutheri. Nam quod sanctè ille dixit, iste homo ignarus perperam maculat, & traducit. Dixit Lutherus se odisse vocem ὁμοιούσιος rectè, & piè, nam Arianorum vox est: iste ὁμοιούσιον, & ὁμοούσιον imperitissime vocem eandem esse putat. Patres Orthodoxi filium patri planè ὁμοούσιον, id est eiusdem ad numerum essentiæ, esse dixerunt: Ariani autem hæretici ὁμοιούσιον tantum, id est, similis dumtaxat essentiæ. Bellarminus ista diuersa, & tam dissimilia, magno, & solo calumniandi Lutherum animo turpissimè confundit.* Quo in negotio clauus mihi trudendus est clauo, atque hæreticus hæresiarchæ testimonio confutandus. Verba Lutheri in confutatione orationis Latomianæ sunt hæc: *Nec est quod mihi Homousion illud obiectes aduersus Arianos receptum. Non fuit receptum à multis, ijsque præclarissimis, quod & Hieronymus optauit aboleri. Ideoque non effugerunt periculum, hoc inuento vocabulo: vt Hieronymus queratur, nescire quid veneni lateat in syllabis, & literis, adeò illud Ariani magis quàm scripturas exagitabant.* Et infrà: *Quod si odit anima mea vocem Homousion, & nolim ea vti, non ero hæreticus. Quis enim me coget?* quam vocem, ne quis minus eruditus nō posset legere, latinis literis exarauit Lutherus, vt nemo ignoraret quid de Trinitate sentiret. Certe hic eam vocem, quæ contra Arrianos recepta est, quam Arriani exagitabant odisse se Lutherus affirmat. Idque tàm luculenter, tamq; Latine, vt reuocari in controuersiam nulla ratione possit. At eam non ὁμοιούσιον, sed ὁμοούσιον esse Danæus ipse fatetur. Ita dum Lutherum reclamantem, ac repugnantē rectè sentire cogit, & vehementer accusat quem ostendit nisi mendacio nō posse defendi, & à sua illa mentiendi consuetudine non discedit.

2. Ad eandem prefationem vt est egregius mentiendi artifex fraude, mendacioque multiplici ita defendit suos, vt etiam præuaricetur, & Bellarmino causam abiudicet. Reprehendit Bellarminus Caluinum, Erasmum, Melanchthonem, Bezam, Bulingerum, Melium, Sarnicium, Schegkium, Wigandum, Brentium, Schmidelinum, Kemnitium, Stancarum, Tigurinos, quod cum tueri se Mysterium Trinitatis profiteantur, ea tamen dicant, quæ cum eo penitus planeque pugnent. Singulorum errores ita profert, vt negari non possint. At Danæus, quia neque negare poterat, neque græci nominis æquiuocatione vt paulò ante, ita nunc quoq; rudioribus, atque imperitis imponere: manifestè calumniari Bellarminum ait. Id se porro postea in disputatione ipsa demonstraturum. *Manifestissimus*, inquit, *Caluini, Bullingeri, Bezæ, & aliorum, quos hîc nominat piorum virorum calumniator est Bellarminus, vt ex sequenti disputatione apparebit*. At cùm tam multos nominarit, atque notauerit Bellarminus, eorumque arianitica (mutuabor enim hoc à Danæo vocabulum) dicta protulerit: iste tàm acer eius accusator, ac defensor hæreticorum, vix vllum eorũ defendit. Ad sex Caluini dicta, quæ Arianum olent numerat Bellarminus, iste vnum illud defendere audet, quo negat recte, ac proprie dici filium, lumen de lumine, Deum de Deo. Et quidem ita vt non neget dictum à Caluino. Sed benè dictum defendat, atq; ea in re, Arianis victoriam contra orthodoxos concedat. Non enim negat Bellarminus à Caluino concedi filium eiusdem cum Patre substantiæ: imo vt est vir maxime ingenuus, eum cap. 19. lib. 2. defendit ab ijs, qui id eum negare dicebant. Sed id in homine hæretico reprehendit, quod eam loquendi rationem damnat, quam à Concilio Nicæno acceptam tota Ecclesia Catholica semper amplexa est. Quodque ea in re cum Arianis facit. At Danæus ad Cap. illud 19. quod, inquit, ad hanc phrasim Deus de Deo verè sentit, & scripsit Caluinus, impropriam esse, ac Barbariem redolere. Quæro ergo quo nomine calumniatorem hic Bellarminum vocet, quia ne id dicere Caluinum asserat? at id ita esse ne ipse quidem inficiatur: an quia ea in re sentire eum cum Arianis potius, quam cum orthodoxis Patribus dixit? At hoc luce meridiana clarius est, cum omnes ad Caluini vsque tempora, qui Trinitatis Mysterium agnouerunt, ea phrasi libere vsi sint, Ariani contrà maximè ab ea semper abhorruerint. Sernicij non nulla dicta defendere nititur: illud planè dissimulat, filium vt Pontificem, ac Sacerdotem

dotem

dotem etiam in natura diuina minorem esse Patre. Quod consequens quidem est, si Caluini errorem admiseris. Filium secundum naturam diuinam esse Pontificem, ac Patri sacrificium obtulisse: sed pudet hos homines blasphemiæ, atque impietatis suæ. Defendere præterea nititur Tigurinorum, ac Geneuensium ministrorum de mediatore sententiam: præterea ex tam magno numero in tota ea controuersia, neminem eorum, qui accusantur à Bellarmino. Adde, quod nullam harum ipsarum sententiarum, quas tueri in ipsa disputatione vult, negat suorum fuisse sententiam, sed veram esse defendit, vt non videas qua ratione calumniatorem Bellarminum,& quidem manifestissimū nominet. Aut enim appinxit eis absurdi aliquid, quod non dixerant, aut eorum verba cum aliquid aliud significarent, in deteriorem partem interpretatus est, vt absurdi aliquid dicere viderentur; hæc enim, aut horum simile quippiam vox calumniandi significat. At Danæus ea à suis, & dicta fatetur,& eam sententiam tuetur, quam damnat Bellarminus: qua igitur ratione calumniatoris ei notam inurit? Quantò ipse verius præuaricator est, qui reliquas suorum assertiones erroris damnat, & ita defensurum se recipit, vt silentio posteà inuoluat? Denique si verè eos citat Bellarminus calumniator non est. Si veræ eę assertiones sunt, mendax fortasse erit, si iis tribuat, quę non dixerunt: calumniator non erit, qui nihil de ijs improbè mentiatur. Aut si calumniator est, absurdas ijs sententias falsò tribuit, fatetur igitur, cum calumniatorem Bellarminum vocat, absurde ea dici, quæ ex eorum scriptis refert Bellarminus. At ea dicta ab ijs fuisse tam certum, ac manifestum est, vt id negare Danæus non audeat. Præuaricatur igitur, qui suorum assertiones absurditatis, ac falsitatis damnet, licet in Bellarminum culpam deriuare conetur.

3. Illud verò plane ridiculum, quod exstinctam, atque sublatam suorum opera Arianorum, ac Samosatenianorum hæresim gloriatur contr. 2. lib. 1. ad præfat. ad cap. 1. & sæpe eo lib. imo, quod ridiculum magis est id ipsum testificari Bellarminum ait ad præfationem primæ contr. his verbis. *In præfatione*, inquit, *secundæ controuersiæ scribit, & fatetur Bellarminus, nostrorum opera, non suorum, & Seruetum, & Gentilem, Arianos, & Samosatenianos, eorumque hæresim esse sublatam.* Quod pro se asserit Danęus, suo ipsius testimonio confutabitur, quod ex Bellarmino, locus ipse Bellarmini mendacii eum conuincet. Ergo Danæus ipse contr. 2. lib. 1. ad cap. 1. & 2. in quo ta-

men de exstinctis suorum opera Arianis gloriatur, ita concludit. *Hæc est*, inquit, *robusta Bellarmini, & perpetua in toto hoc argumento tractando fraus, quod cum Poloni Ariani, & ijs vicini alii, se quoque vocent ministros, vti ij, qui ipsos refutarunt: iste ad conflandam nostris inuidiam, vtrosque, & Arianos, & Orthodoxos, hoc est, nostros eodem ministrorum nomine in hæresi ista declaranda malitiosè inuoluit.* Quibus verbis satis indicat, pestem illam in Polonia, ac finitimis regionibus adhuc grassari. Et verò quis est, qui nesciat, quantam Transyluaniæ, & Vngariæ, quantam Poloniæ partem ea lues depopuletur.

Iam Bellarminus ipse pro se in ea ipsa 2. contr. præfatione Respondeat §. Hunc ducem, vbi ita scribit. *Hunc ducem, & principem sequuti sunt Georgius Blandrata, Paulus Alciatus, Lælius Sozinus, Franciscus Dauid, & omnis illa ministrorum colluuies, quæ nunc in Transyluania erroris sui sedem constituit.*

4. Accedat ad hæc alterum, non minus festiuum Danæi mendacium quod est illi in primis secundæ controuersiæ libris admodum familiare, vt quoniam de Mysteriis Trinitatis, atque incarnationis sentire Caluiniani nobiscum volunt, quicquid contrà nouos eorum mysteriorum hostes disputat Bellarminus, ità plerumque laudet, vt id è suorum libris sumptum esse glorietur, ita libro 1. ad cap. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. & passim in ijs libris, sed ita plerumque, vt locum vndè sumpta ea sint, nullum proferat. ità ad caput. 13. libri 1. cum defensam à suis Diuinitatem Spiritus sancti dixisset: *à quibus*, inquit, *iste sua sumpsit, quamuis magno astu dissimulet.* Ad caput 4. & 5. *hoc tantum*, inquit, *in eo reprehendimus, quod Plagiariorum more cœlat ea, quæ à nostris accepit.* Ad caput 6. *hoc modo querimur de Bellarmino*, inquit, *quod ea, quæ à nostris, tum Gallis, tum Geneuensibus, tum etiam Italis, & Polonis didicit, & aperte sumpsit, quemadmodum cuiuis nostrorum scripta legenti facile apparebit, ingrato animo cælat, vt ea in se transferat.* Atqui Bellarminus, diuinitatem Sancti Spiritus probat, primò ex scripturis, deindè ex Patribus, tertiò ex miraculis, cap. illo. 13. Miracula Danæus, vt alio loco videbimus, ad probanda fidei dogmata, & nominatim mysterium Trinitatis, afferri non patitur; aut ergo ea ex suorum libris desumpta argumenta fatebitur, & reprehendet suos veros, vt ipse ait, Verbi Dei ministros; aut hoc argumentorum

genus indè sumptum non esse concedet. Quod ad Patres attinet, quam in eorum scriptis versatus sit Bellarminus, reliqua eius volumina satis ostendunt, & Danæus ipse variam eius eruditionem in ijs libris non raro prædicat. Ad caput. 5. & 6. *Hic*, inquit, *& nos ipsi, variæ lectionis, & diligentiæ honestam laudem Bellarmino tribuimus, & sine inuidentia prædicamus.* Ad cap. 20. libr. 1. *& diligentiæ*, inquit, *& memoriæ, & assiduæ Patrum lectionis nomine gratias illi agendas esse maximas existimamus,* & alibi sæpè non dissimilia. Eum igitur cui assiduæ lectionis, ac variæ eruditionis nomine gratias agendas esse existimes: quam verisimile est, cum possit ex ipsis Patrum fontibus testimonia sumere, à turbidis Hæreticorum lacunis mutuari voluisse? Argumenta porrò, quæ ex scripturis affert, partim ex Patribus sumpta sunt, quos ibi commemorat Bellarminus, quæ si licuit Hæreticis inde sumere, quare Bellarmino Catholico homini, à Patribus, quorum vere filius est, ac fidem & veneratur, & imitatur non licuit? quædam ex variorum collatione locorum ducit; hæc vobis videlicet vindicabitis item, vt ea, quæ ex simplici ducuntur scripturæ loco. At ea, cum non adeò multa sint, primò cur non redarguit, ac tabulis obsignatis hominem furti conuincit? cur aliqua saltem exempli gratia non affert? Deinde, cur ita scribit, vt non pauca quædam, sed aut maximam partem, aut omnia ex suorum translata libris affirmet? Nostri, inquit, Diuinitatem Spiritus Sancti defenderunt, à quibus iste sua sumpsit, quamuis magno astu dissimulet. Hic certè non vnum aliquod argumentum suis, sed omnia tribuit. Quoniam autem eodem vtitur, argumentationum, ac probationum genere in capitibus. 5. 6. 7. 8. & 9. eadem erit ratio conuincendæ impudentiæ Danæi. Tàm sterile, scilicet, fuit Bellarmini ingenium, vt qui tàm multis scripturarum testimoniis, in reliquis omnibus suis libris, tam doctè, atque acutè, reliqua fidei Christianæ dogmata, contrà Hæreticos probauit, is in defendenda Filii, ac Spiritus Sancti diuinitate, pro qua tàm multa Patres olim disputarunt, nihil inuenire per se, aut ab aliis Catholicis, ac sanctissimis Patribus, mutuari potuerit, sed confugere ad Hæreticos sit coactus: Adde, quod ea omnia argumenta, ad quæ respondisse aliqua ratione Arianos ait, atque eorum solutiones impugnat, cum ante se allata iam ab aliis ea fuisse fateatur,

quæ aduersarii soluere conati sunt, ea sibi Bellarminus non arrogat potuitque in ipsis Arianorum libris vidisse, quare etiam si allata à Caluinianis ea primo fuissent, potuit non ex eorum libris haurire. At ea cap.4. septem sunt, cum vndecim tantum attulerit. in consequentibus verò capitibus. 5. & 6. vix vllum est argumentum ex scriptura ductum, quod non idem Patrum habeat testimonium aut locus ipse tàm manifestus sit, vt nullo duce, quilibet videat facere eum ad Diuinitatem Filii demonstrandam. Iam verò illud in hoc genere cachinnis dignum Danæi mendacium, quod à se mutuatum ait Bellarminum, quæ contrà Vbiquetarios scribit; sic enim in examine, & censura sua, ad finem libr.3. contro.2. *A Ioanne Caluino*, inquit, *& Polonis fratribus maximam partem habet, quæcumque contra Gentilem, & Seruetum scribit: à Theodoro Beza, & à nobis ipsis, quicquid contra Vbiquetarios, & Martinum Kemnitium profert.* Non vereor, ne qui scriptum hoc eius, in Bellarminum legerit, tam imperite, atque ineptè conscriptum, in dubium reuocet, vtrum esse in eius libris aliquid potuerit, quod vir doctissimus, atque grauissimus, nō modò suis scriptis dignaretur, sed probaret omninò; certè in omnibus eius voluminibus nusquam, ne refutandi quidem causa Danæi nomen inuenies, cum tamen nullum, paulò nobiliorem Hæreticum, prætermiserit. Ità aut obscura fuerunt Danæi scripta, vt in manus viri, alioqui admodum accurati, atque adeò in hoc genere curiosi, non venerint; aut si quæ deuenerunt, indigna duxit, quorum ratio cum cæteris Hæreticis haberetur. Cæterùm, quod ad ea, quæ aduersus Vbiquetarios scripsit Danæus, egregiè animaduertit Rogerius noster obiectum à Laonico Antagonista suo fuisse Danæo, quod, quæ contrà eam hæresim scripserat, ex Ingolstadiensi quodam Iesuita corrasisset. Idque Danæum, qui ad reliqua omnia eius conuitia, acriter admodum responderit, inficiari non ausum, totum eum locum leuiter traducta aliò quæstione, transisse. pag. sui in Laonicum lib.74. his verbis. *Porrò Iesuitam quendam Ingolstadiensem contrà vestram vbiquitatem iam pridem scripsisse conquereris: quid ni verò ille faceret Laonice, & illum errorem Eutychianum pro virili euerteret; cuius, & si Satan auctor est, ipsum tamen Satanam tàm fœdi erroris iam manifeste pudet?* Ita cum furtum obiiceretur, quia gestabat in manibus non negauit, sed eius ex quo furatus est, laudat officinam; vt intelligas iustam sibi fuisse causam, cur furaretur. Quamobrem nihil est quod queratur. Nam, & si nihil opus fuit Bellarmino,

mino, cum suis abundet, stipem corrogare, tamen, si ex Danæo sodalium suorum bona, quasi ex fabulosa illa cornicula, plumas repetere voluisset, obmurmuranti iure suo respondere illud potuisset, non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum est, & vade: ego, quod meum est, repeto.

5. Cont. 2. lib. 4. ad caput. 7. Bellarminus Caluino obijcit, quod & si apertè fatetur hominum animas, non modò sanctorum, sed etiam impiorum, cum è corpore discesserint non interire, tamen ex aliis eius dictis necessario sequitur, eam esse mortalem. Ita ad finem capitis eius, *negat*, inquit, *id in fine libri Caluinus, vbi asserit, etiam impios viuere post mortem, licet in pœnis; at hoc non benè cohæret cum superioribus*. Ita aperte quidem à Caluino immortalitatem concedi, sed cum tamen minus consequenter loquutum docet: cum ex iis, quæ supra iam dixerat, mortalitas animę colligatur. Id porrò ita cõfirmat Bellarminus. *Aut*, inquit, *ipse non benè probat Christi animam, mansisse immortalem, ex eo, quod Diuinitati coniuncta, non est permissa ruere in infernum, aut certè sequitur, animas impiorum, quæ ruunt in Infernum, planè extingui. Præterea Sanctus Petrus Act. 2. non dixit Christi animam non fuisse in Inferno, sed non ibi longo tempore relictam, & in symbolo non né legimus descendit ad Inferos? ergò si descendere ad Inferos est interire, etiam Christi anima interiit, licet postea fuerit excitata: at hoc ipsum est, quod volunt Anabaptistæ. Igitur Caluini sententia, & se ipsam destruit, & Atheismo viam aperit*. Hæc Bellarminus, quæ Danæus iniquissimo passus animo, ita ad caput illud scribit. *Quod de Caluino calumniandi animo, & ex verbis eius manifestè contortis, detortisque blaterat Bellarminus; id tam putidum est, vt confutatione non egeat*. Negat ergò, aut id, ijs verbis, quæ ibi protulit Bellarminus, sibi voluisse Caluinum, quod ijs significari Bellarminus existimat, aut ea verba fideliter esse à Bellarmino prolata, aut benè id à Bellarmino colligi, quod is ex Caluini dictis consequens esse contendit. Et quidem si minus fideliter prolata verba contenderit, ex chirographo conuincetur: sin verò verba quidem esse Caluini concedit, sed ijs aliam vult subesse sententiam, primò quidem, cur non indicat, quę nam tandem ea sit, aut quid sibi Caluinus ijs in locis voluerit? Deinde cum eo loco Caluinus disputet, aduersus nonnullos Anabaptistas, qui sensum omnem cum morte extingui, idque ipsi Christi animæ euenisse contendebant; profectò quæ ibi docet, de vera, & propria animæ morte, atque interitu intelligenda sunt. Videamus

verbis multò manifestiùs colligit Bellarminus, quod Caluinus, cùm redderet rationem, quare ea Petri verba ita intelligi oporteret. *Nam anima eius*, inquit, *diuina virtute suffulta est, ne in perditionem rueret;* Quibus satis indicat, ideò in perditionem animam illam non ruisse, quia diuina virtute suffulta est; ergo nisi fulciretur, rueret. Natura igitur sua mortalis fuit, sed mortem effugit virtutis diuinæ, qua fulciebatur, beneficio. Id quod planius etiam fiet ex iis, quæ infra scribit de Sacrificio Isaac, ex quo immortalitatem animæ Christi ita probat. *Quid est, quòd Isaac non moritur, nisi quia, quod proprium est homini, immortale Christus præstitit, hoc est animam: aries verò animal irrationale, qui in eius locum in mortem substituitur, corpus est.* Quibus manifestè declarat, debuisse quidem animam mori, item, vt Isaac, qui immolari iussus erat. Sed quemadmodum pro eo substitutus est aries, ita pro anima corpus in mortem fuisse substitutum. Id quod ea verba demonstrant, id quod proprium est homini, hoc est anima, immortale CHRISTVS præstitit. At si natura sua immortalis est, neque moritura erat, vt pro illa aries, hoc est corpus morti supponeretur, immortalis præstari non debuit, quæ per se ipsa mori non poterat. Ea igitur est eorum verborum sententia, quam iis Bellarminus tribuit. Restat, vt videamus, ecquod sit in his rationibus, quibus ex Caluini verbis animorum mortalitatem colligi Bellarminus queat, argumentationis vitium, an verò necessariò id efficiatur, quod Bellarminus effici putat. Quanquam enim, si id non efficeretur, non ideò calumniari Caluinum, aut eius verba detorquere dici posset, cùm & verba eius fideliter afferat, neque alienam iis sententiam supponat, & colligere se, ex Caluini dictis, non disertè ab eo asseri profiteatur, Quanquam igitur hæc ita sunt, tamen si hoc calumniandi ac detorquendi vocabulis significari Danæus vult, nec rectè ratiocinari Bellarminum existimat, cur ipse sagacissimus, vt sibi videtur peruestigator atque indagator] paralogismorum, Bellarminianarum argumentationum vitia non indicauit? Certè si quod est in iis rationibus vitium, non tam est manifestum, vt confutare velle putidum sit. Sic enim argumentatur, ideò Christi anima perstitit immortalis, quia in perditionem, atque infernum ruere, permissa non est, Ergo si id permissum fuisset, ea vtique interiisset: ergo animæ,

quæ in Infernum ruunt, penitus extinguuntur; Cur enim potissimum Christi anima interiisset, si ruisset ad inferos, cæteræ etiam si ruant non extinguuntur? at impiorum animæ in Infernum ruunt, ergo penitus pereunt. Hæc quidem ratio videtur rem necessario concludere; neque vllum habet argumentationis vitium, nisi si quod de nouo extudit dialectica Caluiniana. Quid altera? nu m minus necessariam habet consequutionem? Descendere ad Inferos est extingui, atque interire animam: sed Christi anima, & si non derelicta est in Inferno, illûc tamẽ descendit, ergò interiit illa quidem, sed excitata postea est. Quod argumentationis huius vitium, aut quod subterfugium excogitari potest? cum propositio ex Caluino desumpta sit, assumptio ex Apostolorum Symbolo, & actis Apostolicis, neque quicquam desideretur ad perfectam argumentationis formam? At Danæus, cum harum rerum nihil negare possit, calumniandi animo, ex verbis Caluini, manifestè detortis, scripsisse hæc Bellarminum causatur. Neque alia ratione defendit, nisi quod immortalitatem animorum Caluinus asseruit: *quis enim vnquam,* ait, *& Christi animæ & in vniuersum animæ cuiusuis humanæ immortalitatem vberius, melius, aut acrius contrà Atheos, & Monachos istos Porcos, defendit, quàm* D. *ille, vir Dei, & Christi seruus eximius Ioannes Caluinus? legat pius lector ipsius libros, de Psychopannychia, lib.*1. *Instit. Christianæ cap.*15. *commentarios in p. Tim.*6. *u.*16. *Actorum* 7. *u.* 32. 23. *u.* 8. At Bellarminus disertè scribit docere quidem animorum immortalitatem Caluinum, in eo ipso libro de Psychopannychia; sed id parum constare ait, cum ijs, quibus animæ Christi immortalitatem probat, quare alia ineunda fuit Danæo defendendi Caluini ratio, sed is, quando ratione, & veritate non potest, fraude, atque mendacio tueri Caluinum constituit.

Secunda item cont. lib. 4. ad cap. 6. 5. in quo capite ad finem Bellarminus reprehendit tanquam blasphemè, & impiè dictum, dicere, quod Christus in horto, sine spiritu orauerit, aut correxerit, seu reuocauerit orationem suam. Sentit Danæus, Caluinum suum ijs verbis designari, à quo ea de Christo affirmari non ignorabat: sed tam immanis eum blasphemiæ puduit. Quare cum strenuus alioqui discipulus æmulari ea in re magistri sui impietatem non auderet, mendacio eum tueri constituit. Negat ergo, cum ea Caluinus de Christi in horto precatione assereret; tàm spectasse quid intus in anima Christi ageretur, quam hominum de ea re iudicium. *Dixit,* inquit,

inquit, *Caluinus ſpectans hominum de Chriſto iſta precante iudicium, Chriſtum ſeſe caſtigaſſe, ac reuocaſſe*, quibus verbis egregiè in ſuum, ac magiſtri ſui caput mentitus eſt. Nam mendacium hoc primo aperta confeſſio eſt, eam ſententiam, quam re vera Caluinus aſſeruit adeò eſſe non modò ab omni veritatis ſpecie, ac ratione alienam, ſed etiam impiam, ac blaſphemam, vt né ij quidem, quos in Caluini gratiam, non puduit Diuinam Chriſti animam inferorum cruciatibus excarnificare, ſuſtinere huius, vel inuidiæ pondus, vel blaſphemiæ immanitatem potuerint. Deinde Caluinum, non ſatis defendit. deniquè ſecum ipſe pugnat Danæus. Et quidem mentiri eum, dum Caluinum hac ratione defendit, hæc fidem faciunt. Primò, quia Caluinus diſertè, atque apertè admodum, & quidem ſæpius hæc affirmat, neque vllam facit humani huius iudicii mentionem; At ſi non rei ipſius, ſed humani iudicii rationem habuiſſet; aliquid aliquando, ſin minus expreſsè ea de re docuiſſet, indicaſſet quidem certè, né cum in re lubrica, atque ancipiti verſaretur; fallax illud hominum iudicium confirmare videretur, atque alios in errorem inducere, qui eius auctoritate permoti, verè iudicaſſe ſe crederent, Chriſtum Dominum, vocem emiſiſſe doloris impetu repentè extortam, quam, vt non ſatis meditatam poſtea reuocarit, atque correxerit. Deinde cum Caluinus apertè, atque perſpicuè clamet, eam vocem, qua Patrem orauit Dominus, vt calicem à ſe transferret, votum abruptum, ſubitò elapſum, caſtigatum deinde, ac reuocatum fuiſſe; non fuiſſe eam meditatam Chriſti orationem, ſed vi, atque impetu doloris extortam ſubitò, cui ſtatim addita fuerit correctio, ea doloris vehementia, præſentem cæleſtis decreti memoriam illi ablatam, & ſexcenta ſimilia, quæ ad ipſam animi eius affectionem, non ad humanum iudicium referuntur; quibus, vel auctoribus, vel coniecturis oſtendit Danæus, hæc cum Caluinus diceret, non rem ipſam, ſed humanum ſpectaſſe de ea precatione iudicium? Hæc certè omnia, quę protulimus, ex Caluini in cap. 26. Matt. commentariis attulit, libro illo 4. cap. 1. Bellarminus; neque inficiari Danæus auſus eſt, cum libri in promptu eſſent, ea fuiſſe ijſdem verbis à Caluino conſcripta, ex quo Bellarmini loco, libet Caluinianum illud integrum deſcribere, quia ſole meridiano clarius mendacium Danæi redarguit. *Metu perculſus*, inquit, *& anxietate conſtrictus fuit, vt neceſsè foret, inter violentos tentationum fluctus, alternis votis, quaſi vacillare. Hæc ratio eſt, cur mortem deprecatus, ſibi frænum*

inijciat, Patrisque imperio subijciens votum illud subitò elapsum, castiget, ac reuocet. Hæc Caluinus. Quid autem est, necesse fuisse, inter violentos tentationum fluctus, alternis votis, quasi vacillare, nisi nunc in hanc, nunc in illam partem, animo inclinare, recursantibus, nunc metu mortis, nunc cœlestis decreti memoria; quæro ergò necesse né fuerit, ita Dominum alternis illis tentationum motibus æstuare? si negat necesse fuisse Danæus, falsò ergo id à Caluino affirmari concedet. Si affirmat, vacillauit ergo animo Dominus; atque in diuersas partes iactatus, optauit aliquid, quod mox corrigere opus fuit. Dicet fortasse visum fuisse ita vacillare, atque in diuersa distrahi, sed non fuisse eam in animo eius luctam, quam exterior eius actio præferebat. At, qui necesse fuisse asserit, eum ita agitari, non tàm enunciat quid actum sit, quam quid agi necesse fuerit. si agitatum esse diceret, quadrare hæc responsio, aliqua ratione posse videretur; explicari enim posset, de ea agitatione, quæ extrinsecus appareret; at agitationis istius necessitas, qua ratione videri potuit? vt idem significet, necesse fuit eum vacillare, ac si diceret, videbatur necesse esse, vt vacillaret, certè ita nemo hominum loquitur; quare né hanc quidem interpretationem, ea Caluini verba possunt admittere. Præterea vel hæc votorum veluti alternatio, ac vacillatio voluntatis, causa fuit, cur, cum abreptus doloris impetu, mortem deprecatus esset, mox recurrente Diuini mandati memoria priorem precationem reuocaret, ac votum illud prius paterno imperio subijceret, atque ita non ex hominum iudicio, sed ex re ipsa, quæ intus in animo gerebatur, Caluinus rem explicat. Vel ea non fuit ratio, cur ea verba Dominus subiiceret, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, sed cum quippiam spectaret Dominus iis verbis, quam vt priorem corrigeret orationis suæ partem, nobis tamen eo spectare videri solet: quod, si dixerit Danæus, illud etiam concedat necesse est, falsum esse quod Caluinus affirmat, eam fuisse rationem, cur mortem deprecatus, mox sibi frænum iniecerit, Patrisque imperio subiiciens, votum illud subitò elapsum, castigarit, ac reuocarit. Denique, quod hominum iudicium Caluinus spectare in ea re potuit, cum nemo vnquam antè eum, de ea Christi oratione ita iudicarit? Mendax igitur est Danæus, qui Caluinum, vt defendat, alienam illi sententiam tribuit; idemque præuaricator, qui dum in aliam sententiam Caluinum conatur trahere, causam nobis abiudicat. Iam verò, né si id quidem, Caluinum voluisse concessero, quod illi præuari-

uaricator hic eius tribuit, defendi poteſt Caluini blaſphemia. Quod hac ratione probo; aut enim iuſtam habuerunt homines, ita iudicandi rationem, aut ſine vlla iuſta cauſa, cum aliam in partem ea Chriſti verba interpretari commodè poſſent, ita tamen iudicare maluerunt Si eorum verborum ea ſententia eſt, atque ita interpretandi animi eius affectum, anſam dedit ea oratio, non poterit reprehenſionem effugere, nam qui orationem effuderit, reprehenſione dignam, dignus ipſe eſt, qui reprehendatur. Indigna autem viro conſiderato, & graui ea oratio eſt; quæ eum animi affectum licet non verè ſignificet, qui à recta virtutis norma, ac ratione ſit alienus. Non igitur ea Danæi interpretatione, omni planè culpa, ea Chriſti oratio liberatur. Sin autem nullus rerum non iniquus æſtimator, eam Chriſti orationem ita vnquam interpretatus fuerit; iniquè profectò agit cum Chriſto, ſeu Caluinus, ſeu Caluini interpres, qui, ea, quo ad externam etiam ſpeciem Chriſti actionibus tribuat, quæ niſi imprudentum, atque imperitorum iudicio cadere in eas non poſſunt. Pugnantia deniquè Danæum loqui, probo. Primò, ex eo quod ipſe Catholicorum Patrum interpretationem, qui Luc. 2. Chriſtum profeciſſe ſapientia intelligi aiunt, quoad oſtenſionem, quia ſecundū ætatis incrementa, ita latentem ſuam ſapientiam oſtendebat, vt cum ætate, proficere etiam ſapientia videretur. Hanc inquam Patrum interpretationem, libro illo 4. ad caput 3. his verbis inſectatus eſt. *Vel ſpiritum*, inquit, *in Dei verbo mentitum, proh blaſphemias fingunt, qui tam apertè Chriſtum profeciſſe ſapientia pronunciauit, vel Chriſtum ipſum diſſimulatorem, & cum id ipſum non ageret, quod agere videbatur, nos fefelliſſe volunt, quæ fuit hæreſis Marcionitarum, quaſi in cruce vociferans nihil tamen pateretur.* Quoniam ergò ſeriò Chriſtum oraſſe, ac petiiſſe Danæus non vult, vt mortem effugeret, moxque eam orationem, quippè quam vis ſubita doloris extorſerat, reuocaſſe, ſed ità egiſſe, vt reuocare, atque id agere videretur; Spiritus autem Sanctus narrat, eum oraſſe, vt calix transferretur, moxque correctionem illam ſubieciſſe, quam fingit Caluinus, mendacem facit Spiritum Sanctum Danæus; pari ratione, quoniam cum vel transferri calicem illum nō cuperet, vel votū illud non elapſum temerè quaſi elapſum temerè nō reuocaret, ità tamē ſe geſſit, vt & extortū, atq; abruptū votū illud doloris impetu, & reuocatū poſteà videret, diſſimulator Chriſtus fuiſſe, & cū nō id ageret, quod agere maximè videbat, nos fefelliſſe dicendus erit, ꝙ verè Marcio-

niticum est. Aliud est enim, non omnia continuò prodere, quę latent in animo, quod & prudentiæ est, & nos in Christo concedimus; aliud consternationem, atque æstum animi fluctuantis, simulare, cum ita non afficiare, quod in Caluinum Danæus ex Marcione deriuat; alterum ergò eligat de duobus, vel vt perperam argumentatum se aduersum nos cap. illo. 3. fateatur, vel vt simulatorem Christum, & mentientem in sacris literis spiritum Dei faciat.

4. Libro eodem, ad caput. 8. quo capite explicat, & confutat Bellarminus inauditam Caluini blasphemiam, de descensu Christi ad Inferos, postquam docuit ex Caluino, dici Christum ad inferos descendisse, non quia subterranea animarum loca adierit, sed quia ipsas damnatorum pœnas, & cruciatus, in anima pertulerit: subdit Bellarminus. §. Notandum tertiò, & quamuis non apertè dicat quandiu fuerit in inferno, tamen innuit fuisse vsque ad resurrectionem: quibus verbis, vt vides, duo docet; Alterum, nihil apertè scripsisse Caluinum de tempore, quo in ijs inferorum doloribus, anima Christi versata est: alterum, innuere eum, ad diem vsque resurrectionis, fuisse productos eos Diuinæ illius animæ cruciatus. At Danæus in caput illud 8. in ipso initio. *Bellarminus*, inquit, *miserrimè fallitur col. 402. in fine, qui putat ex Caluino, Christum à momento passionis, ad diem vsque Resurrectionis in inferno, & ijs doloribus versatum esse, cum vbique doceat* Caluinus, *in ipsa Christi expiratione cessasse, & Christum in inferno tunc esse desiisse.* Quibus verbis duo minimum, aut tria mendacia, si quis rem attentè consideret, continentur. Primùm, quia eam sententiam ita ex Bellarmino refert, ac si is eam asseri à Caluino diceret: cum tamen innui tantum doceat, non apertè affirmari. Secundum, quod negat ex Caluini sententia, inferorum cruciatus Christi animam post mortem esse perpessam: cum tamen manifestè ex eius scriptis oppositum colligatur. Id quod breuiter hac ratione demonstro. Christi anima, ex Caluino, non alia ratione descendit ad inferos, nisi quia damnatorum hominum cruciatus perpessa est; at post mortem descendit, ac versata est in inferno, ex eiusdem sententia, igitur cruciatus eos, post mortem eius anima pertulit: quod ad propositionem spectat, Danæus non abnuit: de assumptione præsens nostra controuersia est, eam ita probo: Quia certissimum est non solum nobis, sed etiam aduersariis consentientibus, ea verba Petri, Actorum. 2. impossibile fuit teneri

neri eum ab inferno, intelligi de Christo iam mortuo, nam Beza, cuius interpretationem defendit Danęus, ad caput eius libri.12. eum Actorum, & Psalm. 15. locum, ità interpretatur, vt velit infernum pro sepulchro, animam pro cadauere positam, vt idem sit, non derelinques animam meam in inferno, ac si diceret, non derelinques cadauer meum in sepulchro; at cadauer in sepulchro, nisi post mortem esse non potuit, ergo de ijs ibi sermo fit, quæ contigere post mortem. cum autem eum Psalmi locum Petrus attulerit ad probandum, non potuisse Christum ab inferno detineri, de eo profectò inferno loquitur, in quo fuit post mortem, etiam ex Bezæ, & Danæi sententia; porrò de ijs, quæ contigere post mortem, eum locum à Caluino, & quidem minimè hæsitanter intelligi probant ea, quę ex psychopannychia suprà attulimus. *Vera mors*, inquit ille, *fuit corporis, & animæ solutio; cæterum anima vitam suam nunquam perdidit, quæ Patri commendata non poterat non salua esse.* Vbi de anima, quę iam à corpore discesserat, loqui eum certissimum est: pergit porrò, suamque sententiam, quod anima illa vitam suam etiam separata non perdidit, ità confirmat. *Id volunt*, inquit, *verba ex concione Petri, quibus affirmat impoßibile fuisse teneri eum à morte, vt scriptura impleretur, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nam anima, diuina virtute suffulta est, né in perditionem rueret, & corpus eius in sepulchro seruatum ad resurrectionem.* Vbi vides ea verba Petri à Caluino intelligi de anima iam à corpore separata, cum interim corpus ad resurrectionem in sepulchro seruaretur. Porrò eo loco loqui, tum Petrum, tum etiam Prophetam, cuius testimonio Petrus Christi resurrectionem confirmat, de ijs doloribus, quos in anima instar damnati, ac perditi hominis ei Caluinus infligit, ipse docet in Catechismo Geneuensi, cap. de fide, §. 11. vbi postquam dixit Christum diros in anima cruciatus damnati, ac perditi hominis pertulisse, hæc subdit. *Hoc sensu dixit Petrus Christum resurrexisse solutis mortis doloribus, à quibus impoßibile erat ipsum teneri, vel superari*; & vero, etiam si non diceret, apertè satis ex eius sententia colligeretur; quia si in inferno anima Christi interim morata est, dum iterum corpori eius coniungeretur; neque, aut penitus interiit, vt volebant Anabaptistæ, aut damnatorum dolores pertulit, quos inferni nomine Caluiniani intelligunt, alia quædam ratio excogitanda erit, qua in inferno fuisse eo tempore dicatur; nulla autem videtur esse reliqua, nisi eam velit admittere, quæ vnica vera est, vt ad loca subterranea

descendisse dicatur, vt inde iustorum animas victor eriperet, à qua, quia vera est, Caluinus vehementer abhorret. Denique Danæus ipse, ad caput idem in confutatione responsionis Bellarmini, ad quintum Caluini argumentum, causam nobis adiudicat. Argumētum illud erat. Actorum. 2. dicitur Dominus surrexisse solutis inferni doloribus, iuxtà quod impossibile erat teneri eum ab eo, at si non pertulit Christus eos dolores, non potuit iis solutis resurgere: ergo inferni dolores pertulit Christus: quam rationem neque Caluini esse negat, cum Caluini nomine à Bellarmino proferatur: & verò etiam ea, rem confici defendit Danæus. At à Petro ea dici de iis, quæ Christi mortem subsequuta sunt, manifestissimum est, probat enim Petrus Christum solutis inferni doloribus surrexisse, quia impossibile fuit teneri eum ab inferno. Quod ipsum probat scripturæ testimonio, quæ prædixerat per os Dauid, fore vt anima eius non derelinqueretur in inferno. Quare hæc est eo loco Petri ratiocinatio; anima Christi, derelinqui non potuit in inferno, quia ita prædictum erat, ergo non potuit ab inferno retineri; neque enim tenere eam posset, nisi ibi derelinqueretur à Deo; at si non potuit ab eo teneri, resurgere debuit, ergò solutis inferni doloribus resurrexit; quæ omnia ad id tempus referri, quo Christi anima separata erat à corpore, & textus ipse demonstrat, & clamat Caluinus, & Beza negare non est ausus, & Danæus confirmat, vt paulò antè dicebamus: iudice ergo atque adstipulatore Danęo Christus ex Caluino post mortem dolores inferni pertulit, sic enim argumentor. Locus ille Actorū. 2. loquitur de iis, quæ post Christi mortem acciderunt, aut ergo probat id, quod Caluinus vult, atque ita post mortē Christus eos dolores sustinuit, aut certè extrà rem à Caluino citatur, cum non loquatur ibi scriptura de veris inferni doloribus, quos Christus auctore Caluino pertulit. Denique, cum græci codices legant solutis mortis doloribus; si eo loco sermonem esse velit Danæus de doloribus, qui cum ipsa Christi morte finem habuerunt, profectò nihil probaturus est contrà nos; quam facilè enim dicere poterimus, eo loco mortis nomen, non tropicè, pro ira Dei, atque abalienatione eius ab anima, sed propriè positum esse. At eam lectionem Danæus ita vehementer probat, vt, quia Bellarminus in ea responsione ad quintum argumentum Caluini, meliorem esse eam dixit, quam in latinis vulgatæ editionis codicibus habemus, quamq; Irenæus, tantus, ac tam vetustus Pater sequitur, licet græ-

corum

corum codicum lectionem non respuerit, ita inquam, eam lectionē Danæus probat, vt eo nomine Bellarminum acerrimè reprehendat, *textum scripturæ*, inquit, *ex sua vulgari editione corrigit, quoniam eo opprimitur*; sed hoc, in summa Hæretici hominis inconstantia mirum non est. Tertium mendacium, & quidem palmare est, quod ait à Caluino vbique doceri, eos Christi dolores, quorum perpessione in inferno fuisse dicitur, in ipsa Christi expiratione cessasse: quibus verbis non mendacium modò, sed noua etiam hæresis continetur. Mendacium ex eo demonstro, primò quod né vnum quidem ex tam multis Caluini locum, non modo proferre, ac nos verbis eius conuincere, sed neq; designare ausus est: sed, cum vbiq; id tradi ab eo dicat nusquam indicat, vbi hoc dixerit. Deinde, quia cū non paucos Caluini locos Bellarminus attulerit, in quibus de hoc Christi ad inferos descensu verba facit, & quidē prolixè, atq; otiosè in nullo eorum eam rem Caluinus, non modò tradit, sed né indicat quidem. At quo in loco id melius aut aptius explicaret quam in caput. 26. Matt. ex quo scripturæ loco, cum Christi descensum colligit? aut in libro 2. Instit. cap. 16. qui proprius est eius disputationis locus? Tertiò, quia Danæus, qui, vt Caluinum excuset, sicubi à Bellarmino ità reprehenditur vt nulla, nequè ratione, nequè fraude, defendi posse videatur, id Caluino per calumniā, à Bellarmino tribui, causari solet: hoc loco falli hominem ait, qui Caluino eam sententiam tribuat: at, si Caluinus passim hoc docet, profectò verisimile est vidisse id Bellarminū, qui eius hominis nō scripta modò legit, sed apices quoq; accuratè admodū obseruauit: quod si, cum sentire aliter Caluinū crederet, reprehendendi hominis ansam mendacio quæsiuit, profectò calumniator, & mendax vocari debuit; qui enim sciens fallit, calumniatur, nō fallitur; neq; verò Danęus, vel ea modestia, vel eo in Bellarminum animo est, vt ei parcere voluisse videri possit; quod si tam obscure id Caluinus docuit, vt vir eruditus, & grauis, neque mediocriter in eius scriptis versatus, id expiscari ex iis nō potuerit: probare Danæus rem totā accuratius debuit, ac fontes indicare, ex quib. fontibus eius rei probationē peteret. Porrò, noua Danæi hæresis, quā etiā hoc loco Caluino appingit, ea est, ꝙ negat Christi animā post mortē vlla ratione in inferno fuisse. Neq; n. alio modo vult ad inferos eā descendisse, nisi eorū cruciatū perpessione, quib. dānati homines post mortē mactant: at eorū cruciatuū ex Danæo finis tunc fuit, cum Christus expirauit in cruce, ergò post illud

 tem-

tempus Christus in inferno non fuit. Hanc hæresim hîc indicasse sit satis, quam suo fortasse loco, cum proprias eius hæreses numerabimus, nisi aliarum multitudo hanc nobis excutiat è memoria exagitabimus.

8. Resecanda mihi plurima sunt, aut breuiter tantum attingenda, né numerandis Danæi in hoc genere mendaciis integrum volumen insumam. Eodem cap. ad 5. Bellarmini rationem, concedit loca damnatorum subterranea, idque non quasi suum, sed quasi commune Caluinistarum dogma. Confundi ait à Bellarmino inferos, quos passus est Christus, qui in solis animi doloribus positi sunt, cum statu damnatorum æterno, *qui est*, inquit, *in loco illo subterraneo, qui inferi, & infernus dicitur; differunt tamen longè; hunc infernum quoque concedimus, sed Christus eum locum non subiit.* At Caluinus libro. 2. inst. c. 16. §. 9. hæc loca animarum subterranea, Fabulam esse dicit, quod notauit Bellarminus libro eodem, cap. 9. aut ergò Fabulas Caluiniani credunt, aut loca inferorum subterranea non credunt. Atque, vt manifestè intelligas, quam causæ suæ diffidat Danæus, ad caput illud nonum de Bellarmino vehementer conqueritur, quod docuerit ex Caluino, & Beza, iustorum animas non esse visuras Deum, nisi post diem Iudicii, eumque impostorem appellat; at de locis subterraneis, quæ Fabulosa à Caluino appellari, eo loco docet Bellarminus, ne mutire quidem ausus est. Quanquam id ipsum, quod in eo capite defendit, & cuius causa de Bellarmino conqueritur, euidens est Danæi mendacium, quod ne solum excidere sibi pateretur, noua item hæresi cumulauit. Docet enim, ex Caluino, & Beza, Sanctos non modo nunc videre, sed etiam antè Christum mortuum faciem Dei vidisse, sic enim ad caput illud nonum scribit Danæus. *Annotet*, inquit, *& obseruet tamen pius lector, falsum esse, quod impostor iste col. 409. l. D. tribuit Caluino, & Bezæ eos velle, & scribere, iustorum animas antè mortem Christi, neque in cœlo Deum vidisse, neque visuras ante diem Iudicii esse.* Quod Danæi mendacium ex Caluino conuincitur libro. 3. inst. cap. 25. §. 6. vbi ait stultum, ac temerarium esse inquirere in quo loco sint animæ iustorum, & an gloria fruantur necnè. Ac nè forte id ità interpretere, quod minimè dubitandũ doceat, cum exploratũ sit eos gloria perfrui; audi reliqua. *Animas piorum, militiæ laborum perfunctas, in beatam quietem concedere, vbi cum beata lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectant, atque ita omnia teneri suspensa, donec Christus appareat Redemptor.* An potuit, inquit

quit Rogerius, quippiam de hac impietate manifestius? Noua porrò Danæi hæresis est, quod non solum vult, id quod verissimum est, & Catholicæ fidei consentaneum, sanctos, post Christum mortuum, in cœlum recipi, & gloria perfrui sibi promissa; sed etiam hoc idem assequutos, antequam Christus moreretur. Iam illud impudens mendacii genus, quod. p. contro. lib. p. ad caput 18. reprehendit Bellarminum, quod laborem, inquit, in epistolis Iacobi, posteriore Petri, duabus Ioannis posterioribus, & Iudæ canonizandis inutiliter sumit; quis enim de iis epistolis hodiè contentiosè agit? Negat ergò Danæus vllum esse, qui aut neget, aut dubitet. At Bellarminus eodem capite, Lutherum, Brentium, Kemnitium, Centuriatores, nominauit, qui earum, quasdam contemnunt, de quibusdam dubii hærent; cur ergò aut falsi eum non conuincit Danæus, si mentitus est; aut more suo mentitur ipse, vt virum doctissimum, atque grauissimum aliqua ratione carpat? Simile illud est, quod ad cap. 19. scribit, vbi de Apocalypsi Ioannis, quærit Bellarminus an sit liber canonicus; quam quæstionem etiam proponi, molestè patitur, ac reprehendit Bellarminum, quod, cum exploratum sit, eum librum esse canonicum, ipse, quasi de re dubia disputet, rem, inquit, confessam, in dubium, & ius vocat. At eum librum à Luthero, Brentio, Kemnitio, expungi ex canone, Bellarminus capitis illius initio notauit. Vides, quam gnarus sit mendaciorum artifex Danæus, qui tam multa, tam paucis verbis mentiatur. Sed finem huic capiti faciamus, quo ad tredecim minimum Danæi, pro suis mendacia continentur; minimum inquam, nam si quæ secundo, 4. atque hoc ipso 8. §. comprehenduntur, velimus in numero ponere, plusquam viginti, aut etiam triginta futura sunt; sed in tanta copia, non est tam religiose; aut ineunda, aut habenda ratio singulorum. Vidimus qua fide defendat suos; nunc qua nostros accuset videamus.

Danæi aduersus alios catholicos scriptores mendacia.

CAPVT VI.

QVÆ Bellarmino affingit capitibus sequentibus videbimus, quod ea, & plurima, & impudentissima mendacia sunt, quæ de cæteris catholicis scriptoribus improbissimè mentitur, hoc capite

pite proferam, & quidem ita vt secundæ vnius controuersiæ finibus orationem circumscribam.

I. Igitur 2. controuers. lib. 1. ad cap. 3. vt beneficij loco Bellarmino rependat aliquid, qui in Hæreticorum scriptis adamussim examinandis tam diligens est: Catholicorum ipse vicissim scripta examinare, eorumque errores notare vult, sed ita, vt non nisi duo proferat, quæ reprehendat: alterum ex Lombardo, libro primo sententiarum, distinctio. 23. cap. primo: de quo, quia eius verba verè citat, & si perperam intelligit, in præsentia non disputo. Alterum, ex Genebrardo his verbis: *Quod eadem columna idem Bellarminus ait: Patres non semel negant Deum esse vnum specie, & quidem verissimè, & sanctissimè, Patres iste conferat, tamen cum G. Genebrardi suæ Scholæ Principis, & Coriphæi sententia, qui in responsione sua ad Iacobum Skeghium capite 1. folio 146. apertè profitetur* D E I *essentiam, & diuinas hypostases non differre à specie infima, & indiuiduis sub ea contentis, se ipsos isti euertunt.* Hæc Danæus de Genebrardi, non quidem Scholæ nostræ Principis, sed doctissimi tamen atque grauissimi viri sententia, mendacissimè scribit: Is enim apertè profitetur, non esse naturam, atque essentiam Diuinam, si ad hypostases conferatur speciem infimam; neque hypostases indiuidua contenta sub specie, sed ad modum speciei prædicari, quia de singulis personis verè, ac propriè tota D E I natura, atque essentia dicitur. Id quod ex ipsomet Genebrardo his verbis Rogerius explicat. *Incidi*, inquit, *in Genebrardi libros de Trinitate, & illum ipsum, quem citas, simul compactos, ac multò euidentius tuum Danæe mendacium deprehendi. 2. libro de Trinitate, non longè ab initio, conceptis verbis sic docet: Non arbitrandum, siue substantiam, siue naturam, siue essentiam, comparatione trium sanctarum Hypostaseon, esse speciem. & affert multas rationes, illam inter alias, quia non dicitur de multis numero differentibus, prout Philosophi differre numero intelligunt: Qualis enim Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus, absque rei alicuius absolutæ discrimine. Præterea, non enunciatur plurali forma de indiuiduis, nam tres Diuinæ personæ, non sunt tres Dij, vt tria humana indiuidua tres homines, quòd hîc essentia sit vna numero, illic tantùm specie. Hæc ille. Quid ergo ad Skecchium? audiamus eum loquentem, melius intelligemus te mentientem. Sic igitur loquitur: Scribit Skecchius, vt tota anima συνωνύμως, & vniuocè de singulis partibus non enunciatur, quia definitio animæ totius de nutriente,*

verbi

verbi gratia, nequit prædicari; simili modo, & ratione, nec essentia tota diuina, quæ definitur tribus personis, prædicari singillatim, de personis singulis poterit vniuocè, sed de tribus simul comprehensis prædicatur, vt definitio de definito. Profectò euertit Skecchius, quæcunque ab Apostolis, Apostolicis, maioribus denique omnibus, de hoc mysterio sanctissimè accepimus. Nam illi vno ore, vno sermone, eadem mente credendum reliquerunt Diuinitatem, vna eademque nominis & naturæ ratione, quam Synonymam Logici appellant, de singulis personis enunciari: non alia ratione, vel definitione, Patrem Diuinitate esse præditum, alia reliquas hypostases docuerunt. Nomen Diuinitatis, Deitatis, Diuinæ substantiæ, essentiæ, naturæ, itemque nomini attributam naturæ definitionem, singulis communem esse prædicarunt: quantum ad prædicandi rationem, vt Philosophi loquuntur, Dei essentiam, & hypostases non differre à specie infima, & indiuidua sanxerunt. Cumque in rebus diuinis, essentiam per speciem, & personas, per indiuidua exprimunt, id per quandam enunciationis similitudinem fieri ideò pronunciarunt, quòd essentia de omnibus simul personis, & separatim de singulis, vt de indiuiduis species enuncietur: & quemadmodum vnum indiuiduum de altero nõ dicitur, ita neq; de vna persona altera dicatur. Nam discrimen, quod deinceps existit, nihil pertinere ad hunc prædicandi modum, ad istam enunciandi formulam, disertè sentiunt; vt, quod indiuiduis multiplicatis, species quoque plurali numero efferatur: Nam Petrus, Paulus, Ioannes, tres homines sunt; non item Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt tres Dij, propter summam illius essentiæ simplicitatem. Hæc ille: Et affert in margine pro illa doctrina Basilium, in epistola de differentia essentiæ, & hypostaseos, Nissenum libro de eodem argumento. Theodoretum libro 9. Polymo. Cyrillum Alexandrinum, libro 1. de Trinitate, Damascenum in Dialect. cap. 11. Augustinum 5. & 7. de Trinitate. Viden Danæe quantum à tua calumnia distet doctrina Catholicorum? non enim dicit hic, quòd tu mentiebaris, essentiam Dei respectu personarum esse speciem, sed id, quod omnes Theologi Catholici concedimus, habere se per modum speciei in prædicando. Hucusque Rogerius, à quo, quia Genebrardi liber non erat ad manus, libuit integrum hunc locum describere.

II. Libro 4. eiusdem controuersiæ ad caput primum, in fine, ita loquitur de scientia, quam Theologi Catholici animæ Christi tribuimus, vt eam vnius Augustini vnico, & quidem aliud agentis testimonio niti velit. *Huius*, inquit, *Scholasticorũ erroris, quem hic tuetur Bellarminus, nam cõtra nos pugnat, causam, & ansam præbuit August. qui vno dumtaxat in loco, nẽpe, lib. 2. c. 29. de peccatorũ meritis, in feruore*

contrà Pelagianos disputationis,negat Christum,pueriles infirmitates, & ignorantiam suscepisse: id,quod falsum esse (pace tanti viri dictum sit) suprà demonstrauimus. Hæc Danæus, quibus, vt reliqua vitia omittam, quæ alio fortè inspicienda loco sunt,egregia tria mendacia dicit. Primum, quòd ait,solius Augustini testimonio, eam Catholicorum Theologorum sententiam niti, cum, & Magister sententiarum, aliorum, ad eam rem confirmandam Patrum testimonia proferat,& Bellarminus cap. 3. eius libri, citet Eusebium, Ambrosium,Hieronymum, Cyrillum, Bedam, Bernardum, Anselmum, Theophylactum,Gregorium, Sophronium,Nazianzenum,Athanasium, qui vel discertè affirmant, vel non obscurè significant. In quorum testimoniis eludendis, ad caput illud tertium sudat Danæus. Vt si,neque scripturarum vlla nobis testimonia, neque rationum præsidia,ad eius rei confirmationem suppeterent,quæ,& multa habemus,& valida,vt ex 2.& 4.eius libri capite satis apparet; tanta, tantorum, tamque locuplerum testium nubes, & veteris consensus Ecclesiæ,satis veritatem demonstrasse videri possint. Alterum in ijs verbis Danæi mendacium,superioris per simile est, quod vno dumtaxat in loco, id ab Augustino, vel tradi,vel insinuari ait, & quidem ità, vt in feruore disputationis exciderit potius, quam meditatò prolatum sit; cum in eo,de peccatorum meritis, 2. libro, cap.29.tam exaggeratè,tam grauiter,tam multis,id dixerit,ac ratione confirmarit Beatus Augustinus,neque vnquam retractarit, tam seuerus alioqui scriptorum suorum censor, & castigator. Et in libro 15.de Trinitate cap. 26. doceat absurdissimum esse, Christum alio tempore accepisse Spiritum Sanctum,quam in ipsa conceptione,vt cap.3.Bellarminus adnotauit.Negare porrò Danæus ipse non audet,consequens esse, vt si ab instanti conceptionis suæ inunctus est Spiritu Sancto, sapientiam quoque sit assequutus: quanquam negat,consequens esse,vt accepto Spiritu Sancto,ad summũ statim sapientię fastigium venerit,vt nihil posteà vlla ex parte didicerit. Et verò,qua ratione negare id posset,etiam si maximè vellet, clamante per Isaiam Spiritu sancto, cum de ea Christi vnctione loqueretur, quod requiescet super eum Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii,& fortitudinis? quare ad caput eius libri 2. summa ope nititur eam Spiritus Sancti acceptionem, ad trigesimum vsque Christi annum differre. Igitur velit, nolit, concedat necesse est ex Augustino in libro de Trinitate Christum ab ipso conceptionis articulo,

ticulo, puerilem hanc animi infirmitatem, quæ in rerum omnium inscientia posita est penitus ignorasse, cum iam tum requieuerit in eo, Spiritus sapientiæ, & intellectus. Ergo neq; parum meditatum id excidit, viro grauissimo, atq; sanctissimo, quod multis verbis, ac rationibus, ibi confirmatum, nunquam postea retractauit, qui ipsas etiam minus aptas, aut graues loquutiones, quæ iuueni exciderant, senex editis retractationum voluminibus castigauit: Neq; vno in loco docuit, quod in aliis quoq; voluminibus affirmauit: quæ cum apud Bellarminum iam vidisset, sciens, ac prudens, vt rudioribus imponeret Danæus mentitus est. Tertium ea in re Danæi mendacium est, quod vt eius loci auctoritatē eleuet, Augustino tribuit, id, quod neq; ipse dixit, & manifestè falsum est. *Negat*, inquit, *Christum pueriles infirmitates, & ignorantiam suscepisse.* At, quis est tam hebes, qui nesciat, imbecillitatem corpusculi, membrorum teneritudinem, infantiam, vagitus, lacrymas, totum ætatulæ illius tenorem vitę, ad pueriles infirmitates pertinere? Quas Augustinus non modò non remouet, sed etiam agnoscit in Christo. Negat ille quidem pueriles animi infirmitates, in Christo fuisse, quales sunt inscientia, leuitas animi, impotentia cupiditatum, atq; alij minus recti affectus animi; quos in illa ætatula, in qua aut nullus, aut tenuis admodum est vsus rationis, in primis dominari cernimus: sed eas, quæ in corporis imbecillitate positæ sunt, quæque, non indecoræ esse in Dei filio potuerunt, nunquam negauit. *Quam*, inquit, *ignorantiam nullo modo crediderim fuisse, in infante illo, in quo Verbum caro factum est, vt habitaret in nobis: nec illam ipsius animi infirmitatem, in Christo paruulo fuerim suspicatus, quam videmus in paruulis.* Vbi vides, infirmitates animi, in Christo infante negare, non verò etiam corporis, quas mox his verbis agnoscit. *Quia in eo erat similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit, ab ipsa exorsus infantia.*

3. Libro eodem ad caput 5. adnotasse ait Nicolaum Lyranum, in caput Io. 15. v. 34. quod Christus Dominus, quia interrogauit vbi Lazarum posuissent, sepulturæ eius locum ignorauit. Id quod falsissimum est. Nihil enim tale adnotauit vspiam, non modò Lyranus, vir literatus, atque Catholicus: sed vllus planè hominum, quem sui compotem, non excœcarit studium impietatis asserendæ. Nam, si quicumq; interrogat, id nescisse putandus est, quod interrogat; ignorasse dicendus erit Deus, vbi Adam fuerit, post peccatum; ignorasse quid actum esset Abeli postquam à fratre fuerat interfe-

ctus: ignoraſſe, quid videret Hieremias, cum virgam vigilantem, atque ollam ſuccenſam cerneret. Sin autem non neceſſe eſt, quæ quis interrogat, ea continuo ignorare; quæ tandem iſta conſequutio eſt, aut quibus dialecticorum legibus congruit, nonnulli interrogant, quia ignorant, ergo etiam Chriſtus? & tamen hanc argumentationem ad nauſeam vsque Danæus repetit, eique, vt auctoritatem conciliet Lyranum, qui nihil vnquam eiusmodi ſomniauit, in ſocietatem ineptiæ ſuæ vocat. Sed reliqua videamus.

4. In eodem quarto libro, ad caput primum hæreſim ſuam ſcholaſticorum etiam ſuffragio, ſe confirmaturum pollicitus, mendacium ſuum profert. *Durandus*, inquit, *libro tertio ſententiarum diſt. 13. q. 1. n. 10. docet gratiam, & ſapientiam, quam accepit Chriſtus eſſe finitam, nec ad ea attingere, quæ Pater poſuit in ſui vnius poteſtate, quale eſt ſcire diem Iudicij.* At Durandus, docet quidem, gratiam animæ Chriſti finitam eſſe, quo nomine, quia gratiæ etiam gratis datæ comprehenduntur, ſapientiam quoque contineri non inuitus conceſſerim. At verò ignorare Chriſtum, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, ac nominatim Iudicij diem, eo loco non docuit. Diſt. autem 14. quæſtione 2. ad ſecundum conceptis verbis, ait animam Chriſti etſi vi viſionis beatificæ, non nouit diem Iudicij, quia rerum exiſtentias negat in Verbo videri poſſe, ſciuiſſe tamen ait per reuelationem, eumque ſcripturæ locum, vbi negare hoc Dominus videtur, acutè vt ſolet, interpretatur. Et quæſt. 3. num. 6. docet infuſam Chriſti ſcientiam, ad res omnes naturales, omnia diuina myſteria, cogitationes omnes, & facta hominum pertinere.

5. Cenſuram porrò, atque examen primæ partis libri illius quarti, ſtrenuus ſuæ illius, ac ſuorum ignorantiæ patronus, vt aliquid dicere contra Catholicos videatur, incredibile dictu eſt, quam multis mendaciis oneret. Omitto quod ſtatum quæſtionis inuertit, ac duas maximè diuerſas controuerſias improbè miſcet; id quod in tota ea diſputatione factitat. Nam apud Chriſtianos Catholicos, exploratum, ac minimè dubium eſt, Chriſti Domini animam ab ipſo conceptionis articulo, ſapientiæ, ac ſcientiæ abſolutionem ita conſequutam; vt quantum quidem ad beatam, atque infuſam diuinitus ſcientiam, nihil poſtea noui didicerit; tamque ſapiens

ſapiens fuerit in vtero virginis matris, quam ſapiens nunc ſedet ad dexteram Dei Patris. Quouſque verò hæc Chriſti ſapientia protendatur, & quibus veluti finibus circumſcribatur, in opinione poſitum eſt; neque eadem eſt omnium Theologorum ſententia. At Danæus, & alibi ſæpè, & in cenſura in primis ita quæſtionem hanc tractat, quaſi vel nihil inter vtramque quæſtionem interſit, vel ſi quis conceſſerit Chriſtum, ab inſtanti conceptionis conſummatum ſapientia fuiſſe, neceſſario concedere debeat, eum ea omnia ſcire, quæ Deus ſcit; hoc inquam totum omitto, vel quod attigit ſupra, cum de eius in diſputando fraudibus agerem, vel ne nimis ad viuum reſecare videar. Primum ergo mendacium illud ſit, quod Petrum Lombardum, contradictionis arguit, cum expreſſam eius difficultatis ſolutionem ipſe Petrus attulerit, cuius cauſa Danæus eum reprehendit. *Diſt.* inquit, 14. *cap. ſecundo reſpondet animam Chriſti iam tum, (ab inſtanti conceptionis) ſciuiſſe omnia, quæ ſcit Deus, quia ſine menſura dona Spiritus ſancti habuit, atque hæc illius ſententia eſt. Ex quo fit, vt anima Chriſti, habuerit ſcientiam parem, & æqualem Deo, quoniam omnia ſcit, quæ Deus ſcit. Verum, hoc ipſum eadem diſtinctione cap. primo idem Lombardus negat, ait enim in nullo creatura æquatur creatori.* Hæc Danæus. At Lombardus cap. eius diſtinctionis primo proponit quæſtionem vtrum ea omnia ſciuerit anima Chriſti, quæ Deus ſcit, atque affert rationes dubitandi, inter quas ea eſt, quod æquaretur animæ Chriſti ſcientia diuinæ ſcientiæ, at in nulla creatura æquatur creatori, quam rationem dubitandi, pro ſua vel fide, vel ſapientia Danæus pro ſolutione, ac ſententia Lombardi protulit. Capite deinde ſecundo affirmat Lombardus, animam Chriſti, noſſe ea omnia, quæ Deus ſcit, negat tamen habere parem diuinę ſcientiam. *Nec ita clare,* inquit, *& perſpicuè omnia capit, vt Deus, & ideò non æquatur creatori ſuo in ſcientia, & ſi omnia ſciat, quæ & ipſe: nec eſt eius ſapientia æqualis ſapientiæ Dei, quia ſi illa multo eſt dignior, digniusq; & perfectius omnia capit, quam illius animæ ſapientia, ergo, & in ſcientia maiorē habet ſufficientiam Deus, quam anima illa.* Hæc Magiſter, cuius reſponſionem ſi non capit Danæus ſtipes eſt, ſi capit, mendax, & improbus. Addit deinde in tertio diſtinctione 14. ſcholaſticos, ac nominatim ſanctum Thomam concedere animæ Chriſti hanc omniſcientiam, qua ſciat omnia, quæ Deus ſcit, negare tamen omnipotentiam, eiuſque rei

rationem eam afferre,quod anima Christi, non æquè capax sit omnipotentiæ atque omniscientiæ. Quibus duo mendacia continentur; alterum,quod Scholastici, in primisque S. Thomas, omniscientiam animæ Christi concedant,cum non modo in 3. parte, quam pro sua eruditione tertiã secundæ Danæus appellat, sed etiam in 3. sententiarum d.14.a.4.ad 4.id disertè S.Tho.neget,neq; nisi eorum omnium cognitionem in verbo Christi animæ tribuat,quæ,vel fuerunt,vel sunt,vel futura sunt aliquando,cuius verba mox proferam, quem doctrinæ eius æmuli, bona,ac magna Scholasticorum pars sequuntur. Itemque ij, quos Suarius noster numerat 3.parte,tomo I. disp.26.sec.2.quarè mentitur Danęus,&cum eam sententiam Scholasticis omnibus communiter tribuit & cum nominatim appingit Sancto Thomæ. Alterum illud est, quod de ratione blaterat, quam afferri à Scholasticis, & S. Thoma dicit, cur omnipotentiam non acceperit anima Christi, omniscientiam acceperit. Quanquam enim verum est,non potuisse angustiis creaturæ,omnipotentiam capi,ideoque communicatam ei non fuisse, tamen, cur omnipotentiæ incapax,capax scientiæ fuerit,vel omnium, vel certè tam multarum,atq; adeo infinitarum rerum, explicandum Scholasticis erat, ne sine ratione hoc negare, illud concedere viderentur: quoniam autem è Scholasticis sanctum Thomam potissimum delegit quem carperet,eius nos rationem potissimum afferemus. Sic igitur diuino vir ingenio philosophatur.3.d.14.art.4.ad 4. *In omnipotentia*, inquit,*includuntur ea omnia ad quæ diuina potentia se extendit, ex infinitate suæ essentiæ,secundum quam est actiua infinitorum, secundum quemlibet modum; sed in scientia omnium,quæ dicitur Christo communicata, non includuntur omnia, quæ Deus potest facere; vt dictum est; ideo omnipotentia communicari non potuit, nisi habenti essentiam infinitam, sicut nec scientia omnium, simpliciter,quæ Deus potest facere, nisi comprehendenti essentiam infinitam,vt dictum est.* Quibus S.Thomæ verbis vtrumque Danæi mendacium manifestè apparet; primo enim negat S. Thomas,omnium,quæ Deus potest facere scientiam Christo communicatam esse; quam scientiam Deo,sine dubio concedit: quare vult plura sciri à Deo,quam ab anima Christi.Secundo negat paritatem, quia omnipotentia Dei ad omnia pertinet, quæ quacunq; ratione fieri possunt,at omniscientia Christi,ad ea tantum omnia,quæ aut sunt,aut futura sunt,quarè non est eadem vtriusque ratio; esset autem aliquo modo par ratio quantum ad hoc, si omniscientia, ad omnia

mnia omninò attingeret, quæ vlla ratione esse possunt: at id omniscientiæ genus, negat S. Thomas communicari posse creaturæ, quia existimat fore, vt ea cognitio Deum comprehenderet. Deniq; non in eo discrimen positum esse putat, quod si ea quoque, quę fieri possunt cognosceret infinita cognosceret, atque adeo cognitionem haberet, ac scientiam infinitam; Deus enim summè infinitus finita visione à Beatis, vt in se est, ipse cognoscitur, quarè possent etiam infinitæ creaturæ non infinita cognitione intelligi. sed ex eo fieri id posse negat, quod, quę nunquam fuerunt aut futura sunt, existimat non alia ratione cognosci posse; nisi quia causa intime perspiciatur. At, cum causa ita perspicitur. vt omnia cognoscantur, quæ produci ab ea possunt, ea penitus comprehenditur intelligentia: at infinita essentia, comprehendi, nisi infinita cognitione non potest; quia, aut par esse debet comprehensio ei quod comprehenditur, aut etiam maior. At verò omnipotentiam, (quamcumque demum cominiscaris) infinitæ cuiusdam perfectionis esse ex natura, & specie sua, aduersarij ipsi consentiunt; & nemo, nisi desipiat, negare potest. Quarè cum omnipotentia, nisi infinita esse non possit, omni scientia verò, finita altera, qua res ita sciuntur, vt earum causa non penitus comprehendatur; altera infinita, quæ ex causæ ipsius comprehensione oritur, optime sanctus Thomas rationem reddit, cur aliqua omniscientia Christo communicari possit; at omnipotentia non possit. At, qui cognosci à Christo omnia posse contendunt, ij negant necessario comprehendi debere causam, etiam si omnes eius effectus cognoscantur, quarè finita cognitione cognosci ea omnia existimant: & discrimen idem afferunt, cur omniscientiam habere anima Christi potuerit, omnipotentiam non possit; quia scil. omnipotentia infinita necessariò esse debet, omniscientia finita etiam esse potest: at creatura, quæ finitum non difficile capit, infinitatis planè incapax est; sed reliqua proferamus. Scholasticis aliis accusatis, ad Durandi laudes digreditur; sed ita tamen, vt & Scholasticis noua quædam crimina, & Durando Caluini hæresim improbus, ac malignus laudator affingat. *Sapientior*, inquit, *Durandus, in eundem 3. sententiarum d.13.q.1. & aliis locis docet, animam Christi habuisse scientiam finitam, cum sit ipsa finita, & eiusdem rationis, cum animabus nostris, & finitæ capacitatis, nec eadem scire, quæ scit Deus, nec Dei essentiam comprehendere, quam Deus comprehendit.* Quibus verbis tria Danæi mendacia comprehenduntur. Primum, quod innuit reliquos

quos Scholasticos, infinitam animæ Christi scientiam, & capacitatem concedere; alterum, quod Durandum eius sententiæ esse indicat, vt velit non omnia scire animam Christi, quę Deus scit; tertium, quod aliis Scholasticis errorem eum tribuit, vt velint ab anima Christi diuinam essentiam comprehendi: quia enim sapientem ceterorum Scholasticorum comparatione Durandum vocat, quod ita senserit, satis indicat reliquos aliter sensisse. Porrò mendacia ea esse, prolatis, vt aiunt, tabulis probo. Ac primum quidem finitam esse animæ Christi scientiam, si paucos quosdam Nominales, aut Nominalium studiosos excipias, omnes consentiunt, qui infinitum fieri vlla ratione posse negant. Quidam verò etiam eo vsque progrediuntur, vt negent, etiam si infinita qualitas fieri posset, in anima tamen Christi poni potuisse, quia finita creatura infiniti incapax sit, ac certas quosdam habeat capacitatis suæ fines: significat id sanctus Thomas 3. parte quæstione 7. articulo 12. Scotus distinctione 13. quæstione 4. §. ad argumenta istarum. Albertus distinctione 13. articulo 7. Pal. 3. distinctione 13. articulo 4. Non ergo sapientior Durandus, cum non solus finitam animæ Christi sapientiam, aut capacitatem tribuat; sed mendax Danæus, qui vt ceteros traducat, hanc ei laudem præ ceteris tribuit. Alterum verò illud, quod ex Durandi sententia tam disertè affirmat Danæus, non omnia ea, quæ Deus scit nosse etiam animam Christi, apertissimum est mendacium; nihil enim, opinor, aliud cognoscit Deus præter se, nisi ea, quæ potest facere, quæque vel fecit, vel facturus est aliquando, siue naturalia ea sint, siue diuina mysteria; at ea omnia animæ Christi Durandus diserte concedit. Nam res omnes, quæ fieri possunt, d. 14. q. 3. num. 5. ait à Christo, visione beata, videri in verbo; idque non soli animæ Christi Domini, sed omnibus omninò Beatis concedit, ea verò quæ aliquando fuerunt, aut sunt, ait à Christo cognosci scientia infusa. *Dicendum est*, inquit, *quod hæc scientia extendit se ad cognitionem omnium rerum naturalium, & omnium mysteriorum diuinorum, & omnium cogitationum, & factorum hominum.* Quibus verbis ita complexus est omnia, vt nihil planè prætermiserit eorum, quæ Deus cognoscit: nisi fortè cauillari Danæus velit, atque Angelorum facta, vel cogitationes, quia expresse non numerauit à Christi Domini cognitione excludi existimet. At Angelorum Durandus non meminit, quia eadem planè ratio est, quia cum Christus sit caput, non hominum modò, verum etiam Angelorum; non minus

minus ad eum ſpectat, ſcire, quid agant, quidue cogitent Angeli, quam homines: certe, cur tantillam rerum omnium partem Deo reſeruaret, vt Chriſti animæ, ea ratione ſapientia, ſcientiaque præcelleret, nulla planè ratio fuit. Tertium verò illud, quod tantam animæ Chriſti ſapientiam concedi à ſcholaſticis indicat, vt diuinam eſſentiam comprehendat; immane mendacium eſt: tam enim indubitatum eſt apud ſcholaſticos, non poſſe diuinam eſſentiam, creata vlla cogitatione, aut intelligentia comprehendi, vt Suarius noſter 3. parte tomo 1. diſputatione 26. ſect. 1. diſputans vtrum anima Chriſti diuinam eſſentiam comprehenderit, doceat fide Catholica certum eſſe à nulla creatura eam comprehendi poſſe: atque in eandem ſententiam citet ſanctum Thomam, Bonauenturam, Ricardum; Scotum, Durandum, Gabrielem, Sotum. Pergit deinde mentiri de Durando. *Denique*, inquit, *quod dicitur Chriſtus Spiritum accepiſſe non ad menſuram, ſic explicat; vt ratione aliorum ſanctorum dictum velit, quod verum eſt. Hi enim, & diuiſim dona Dei, & ex parte accipiunt: at Chriſtus omnia vniuerſim: neque tamen ab ipſo conceptionis momento: neque omnia illa ſemel, & ſimul, vt alij ſententiarij putant.* Hæc Danæus. Quibus virum, feruidioris quidem illum nonnunquam ingenij, ſed apprimè doctum, atque Catholicum Caluinianum conatur efficere; quem ſi audiret Caluino non crederet. Nam, neq; eo loco, quem Danæus citat, ita loquitur, & aliis in locis aperte, & conceptis verbis docet, ab ipſo conceptionis inſtanti, accepiſſe Dominum ſcientiam infuſam, atq; beatam, neque quicquam poſtea in eo ſcientiæ genere profeciſſe. Ita d. 13. q. 1. n. 10. poſtquam dixit ea verba, Spiritus non ad menſuram datus eſt Filio, primo de generatione æterna, vel de vnione hypoſtatica intelligi poſſe, *tertio modo*, inquit, *poteſt exponi de gratia habituali, quæ data eſt Chriſto, non ad menſuram illam, qua data eſt aliis; aliis enim dantur diuiſim dona gratiæ, ſicut dicit Apoſtolus 1. Cor. 12. quod alij datur ſermo ſapientiæ, &c. Chriſto data fuerunt omnia genera gratiarum, & ad omnem effectum, & pro tanto dicitur non habuiſſe gratiam ad menſuram, non quod gratia eius infinita fuerit, ſed quia habuit eam, ſecundum totam ſui plenitudinem intenſiué, & extenſiué.* Hæc Durandus eo loco, vbi certe vides reliqua à Danæo per calumniam addita, atque iniuria eam notam tanto viro inuſtam. Cæterum, quia in iis Danæi verbis duplex mendacium continetur; operę pretium eſt ſigillatim etiam detegere, & redarguere. In hac, de perfectione animæ Chriſti contro-

uerſia,

uersia, duæ sunt aduersariorum hæreses; altera, quod negant ab ipso conceptionis instanti vnctum fuisse Christum Dominum Spiritu sancto; atque ita infantem eadem, qua cæteros homines, in ea ætate inscitia laborasse putant; quod ex Danæi scriptis iam antè demonstrauimus. Altera, quod etiam post acceptam Sancti Spiritus vnctionem, profecisse eum sapientia, ac didicisse nonnulla, quæ nesciebat affirmant. Ita dicunt ignorasse eum, sepulchrũ Lazari, quod sororibus eius monstrantibus deinde didicerit. Vtrumq; autem errorem, paucis his verbis Durando Danæus affingit, cum ex eius sententia loquens ait, Christum vniuersim omnia dona sancti Spiritus accepisse, illum quidem, neq; tamen ab ipso conceptionis momento, neq; omnia illa semel, & simul, vt alij sententiarij putant. At is d. 14. q. 3. n. 5. *Tenendum*, inquit, *quod in ipso Christo, ab instanti suæ conceptionis fuit, non solum cognitio beata, sed quædam alia cognitio infusa, per quam cognouit non solum naturalia, sed etiam mysteria diuina, vt statim dicetur.* Hæc quidem certe Durandi verba, cum iis non consentiunt, quæ scribit Danæus. non ab ipso conceptionis momento fuisse Spiritus sancti dona, animæ Christi concessa. Quid porrò de profectu eius sentiat, quauè ratione interpretetur verba Euangelij, quę docent profecisse eum sapientia audiamus. Eadem dist. q. 4. sic scribit. *Ad rationem in contrarium; ad primam dicendum, quod profectus, sicut incrementum in scientia, potest esse dupliciter; vno modo, quantum ad essentiam habitus, quia efficitur habitus intensior, vel quia ad plura se extendit; & isto modo Christus in scientia non profecit; quia omnia sciuit secundum habitum ab instanti conceptionis æque perfectè, sicut & postea: & sic loquitur Damascenus, qui dicit, quod qui proficere dicunt Christum sapientia, & gratia, vt additamentum sensus suscipientem non eam, quæ est secundum hypostasim vnionem venerantur. Alio modo est profectus in scientia, quantum ad aliquem modum certitudinis, sicut, cum aliquis certus de aliqua conclusione per demonstrationem, puta de eclipsi, eam postea sensibiliter intuetur: per hoc enim noua certitudo additur, & præcedens confirmatur; & hæc vocatur certitudo experimentalis; & quantum ad hoc creuit scientia, in quantum quotidie aliqua videbat, quæ prius non viderat, licet ea sciret per scientiam infusam, & de hoc incremento loquitur Euangelista, & Ambrosius.* Quid dici luculentius, ad confutandam eam hæresim potuit? Nimirum, hæc tam proteruè atque obstinatè defensa ignorantia, non errores modo, ac falsitates, sed etiam mendacia peperit aduersariis.

Libro

6. Libro 4. ad caput 15. Durandi de Christi ad inferos descensu sententiam defendere aggressus, ne sine mendacio paginam illam suam abire pateretur scribit: Durandi sententiam, quod anima Christi, non actu, sed virtute tantum ad subterranea loca descenderit Sancto etiam Thomæ placuisse. *Thomas ipse Aquinas*, inquit, *istius Scholæ facilè Princeps, Durando suffragatur, in secunda secundæ, q. 25. art. 2. contra Bellarminum.* At S. Thomas in 3. p. (ibi enim, non in secunda secundæ disputat de descensu Christi ad inferos) q. 52. art. 2. disertè docet, Christum Dominum per effectum, atq; virtute, ad omnes inferni partes, hoc est, Lymbum Patrum, purgatorium, ac receptaculum damnatorum descendisse: at verò per essentiam suam ipsum subiisse iustorum locum. *Alio modo*, inquit, *aliquid esse alicubi dicitur per suam essentiam, & hoc modo anima Christi descendit solum ad locum inferni, in quo Iusti detinebantur: vt quos ipse per gratiam interius visitabat secundum diuinitatem, eos etiam secundum animam visitaret & loco: sic autem in vna parte inferni existens. effectum suum aliqualiter in omnes inferni partes deriuauit.* Non igitur Durando S. Thomas suffragatur; sed Danæus more suo mentitur.

Libro 5. ad caput 10. *Creatura*, inquit, *de suo creatore nihil mereri teste ipsomet Christo, potest. Luc. 17. v. 10. Thomas 3. 2. q. 19. art. 3. in corpore.* Et quidem, quod ad eum Euangelij locum attinet, quo iubet nos Dominus, cum omnia fecerimus, dicere, quia serui inutiles sumus, nihil in præsentia disputo; quod eum, & proferre Hæretici pro se soliti sunt, & demonstrare Catholici cum vero bonorum operum merito nihil officere. Quod verò spectat ad Beatum Thomam, si, quid hæc verba apud Danæum significent, considerare velis, euidens mendacium est. Nam, & si verissimum est, nullum à creatura, in creatorem suum beneficium posse proficisci, vt bene de eo creatura mereri possit: potest tamen ita se gerere, eiusq; præcepta per charitatem, atq; inhabitantem in se Dei Spiritum seruare, vt ab eo aliquid mereatur: quod vt Caluinianus Danæus negat, atque vt mendax affingit S. Thomæ, qui non modo cum de merito disputat, in prima secundæ, sed etiam in tertia parte, quam, more suo, tertiam secundæ Danæus vocat, illa ipsa quæstione, eodem articulo, docet, posse creaturã aliquid apud Deum mereri, & Christo Domino meritum tribuit; quod Danæus, vt neget, axioma illud Caluinianum assumit, creaturam nihil de creatore mereri posse.

7. Nescio quo, vel amore, vel odio in Durandum Danæus ardeat,

qui dum stare hominem à se vult, per summam iniuriam, atq; contumeliam, ea illi tribuit, quæ, si, aut scripsisset vnquam, aut sensisset, non scripta modo sua, sed etiam se ipse vir Catholicus auersaretur. Libro quinto in censura, & examine eius libri, cum de Christi merito disputat, postquam nonnulla attulit, quibus Christi meritum conuellere sibi videbatur. *Ex quo fit*, inquit, *vt, sine circuitione Durandus lib. 3. sent. Petri Lombardi, d. 18. q. 2. n. 5. sic scribat; præsupponi rationabiliter Christum mereri potuisse, non autem probari.*. Quibus in verbis, duo mendacia sunt, vnum, quod ait negare Durandum, probari Christum mereri potuisse; quod nusquam in Durandi scriptis inueni; & alterum, quod in aliam longè sententiam, verba Durandi detorquet. Neque enim docet Durandus ita supponi veritatem hanc, quod Christus mereri potuerit, vt nulla ratione probetur, sed sit apud Theologos, enunciati, atque axiomatis instar; sed in ea quæstione, qua quæritur, vtrum ab instanti conceptionis Christus mereri potuerit, ait supponi mereri eum potuisse; quæri tamen de tempore, quo mereri potuit; eadem ratione, cum verba illa addit Danæus: Non autem probari; ita interpretatur id, quod dixit Durandus rationabiliter præsupponi; ac si doceret, non planè alienum à ratione videri Christum mereri potuisse quamuis non probetur: cum tamen eo loco aduerbium illud rationabiliter apud Durandum, idem significet, quod, propter certas, nec dubias rationes. Id adeò ipsa Durandi verba planum facient. *Quæstio ista*, inquit, *vnum supponit, & alterum quærit; supponit, quod Christus mereri potuerit; & quærit de tempore possibilitatis, vtrum scilicet in instanti suæ conceptionis, potuerit exire in actum meritorium.* Vides ne eum loqui de suppositione, non ea, qua supponi axiomata in disciplinis solent; sed ea, qua aliquid, in aliqua quæstione supponitur, ne omnes in eadem quæstione controuersiæ misceantur? Pergit. *Primum supponitur rationabiliter propter duo; primum est, quia ad meritum non videntur esse necessaria, nisi tria; primum est, quod agens non sit simpliciter in termino, quia comparatur meritum ad præmium, sicut via ad terminum; secundum est, quod agens sit dominus suæ actionis, ita quod in potestate eius sit agere, vel non agere, nec agat ex necessitate, sed liberè; quia, quod actio sit bona, vel mala, hoc habet ex obiecto, & circumstantiis obiecti, sed quod sit imputabilis ad laudem, vel vituperium, meritum, vel demeritum, hoc habet ex eo, quod est in potestate agentis; tertium*

tertium est, quod actio proportionem habeat ad præmium, quæ proportio attenditur secundum gratiam, & caritatem; ex quibus potest sic argui; quicumq; non est simpliciter in suo termino, & habet dominium sui actus, & est in statu gratiæ, seu charitatis, talis potest mereri; sed Christus ante resurrectionem non fuit simpliciter in suo termino, imo fuit secundum aliquid viator, etiam habuit dominium suæ actionis liberæ, sicut ceteri homines; fuit etiam perfectißimus in gratia, & charitate, ergo potuit mereri. Secundo patet idem sic. Nobilius est aliquid habere per meritum, quam sine merito; sed omnis perfectio, & nobilitas est Christo attribuenda: ergo quicquid habent alij per meritum, fortiori ratione, & Christus habuit per meritum: alioquin alij illud nobiliori modo habuissent, quam Christus, quod est inconueniens. Maior patet, quia nobilius est aliquid habere à se, & per se, quam ab alio, & per alium: qui autem habet aliquid per proprium meritum, quodammodo habet illud per se ipsum, in quantum per suam actionem, fecit sibi illud debitum; qui habet sine merito, habet omninò per alium; ergo nobilius est habere per meritum aliquid, quam sine merito, de his, quæ possunt cadere sub meritum; & quia quod est nobilius, est Christo attribuendum; consequens est, quod ipse habuit per meritum id, quod alij habent per meritum, nisi sit tale, quod eius carentia magis dignitati, & perfectioni Christi præiudicet, quam per meritum accrescat. Hæc Durandus, qui cum duabus rationibus probet suppositionem illam, vt vidimus, satis ostendit se illo aduerbio (rationabiliter) significare voluisse, non sine certis rationibus id supponi. Quare mentitur Danæus, & quod ea verba (non autem probari) de suo addit; & quod in alienam maxime sententiam Durandi verba detorquet.

8. Huc etiam ea faciunt, quæ paulò post subiicit. Ait nos coniecturis omninò duabus adduci, vt dicamus Christum sibi mereri potuisse. *Prima est*, inquit, *perfectius esse, aliquid ex nostro merito, quam ex Dei gratia habere; quod si verum est, perfectius erit, & firmius nobis, nostrisque operibus fidere, quam Deo.* At hoc Danaicum planè mendacium est; nemo enim est Christianorum, qui meritum vllum agnoscat, cuius causa gratia Dei non sit: non modo, quia nemo mereri verè, ac propriè potest, qui in caritate Dei non maneat; sed etiam quia ea opera, quibus meremur, non sine speciali auxilio gratiæ Dei excitantis voluntatem, atque adiuuantis ad bonum fieri possunt: quare quod ex merito habetur, ex Dei misericordia, & gratia habetur: neque in vllius vnquam Catholici scriptis hoc Danæus inueniet, perfectius esse habere ex merito, quam ex gratia

Dei. Protulimus §. superiore verba Durandi, cum eum à Danæi calumniis purgaremus, qui hac ipsa ratione, probat Christum mereri potuisse, quam Danæus ex Catholicorum scriptis sumptam, more suo deprauat: At in iis Durandi verbis, nihil est, quod impietatem istam redoleat: Vtitur hac eadem probatione Bellarminus c. 9. §. Ambrosius. Melius est, inquit, cæteris paribus, aliquid ex merito habere, quam sine merito; vtitur sanctus Thomas tertia parte quæstione 19. articul. 3. at ne in eius quidem scriptis, est ea, quam Danæus nobis affingit, insania. Denique nos hoc docemus, cum per Dei gratiam duobus modis haberi aliquid possit, vno, sine vlla nostra cooperatione, & merito, vt cum infantes pueri, vitam æternam solo baptismate consequuntur, altero, per cooperationem, & meritum, vt cum Martyres, per Spiritum sanctum se ipsos offerunt oblationem Deo: atque ex eo vitam æternam, laboris sui præmium, consequuntur, nobilius, ac melius esse ex merito, per gratiam Dei, quam sine merito, bonum aliquod consequi. Hoc aduersarij, si potuerint, negent, qui meritum ideo negant bonis operibus iustorum, quia nimium videtur tribui creaturæ, si meritum tribuatur. Pergit. Secunda coniectura, inquit, est, eaque falsa; nobilitatem omnem esse Christo tribuendam, sicut ipsi loquuntur, id est, Christum hominem in his terris omni infirmitate caruisse, quæ non sit peccatum. Insanisse Danæum crederem, cum hæc scriberet, tam absurda, tam stulta, tam aliena, non solum à veritate, sed ab omni etiam verisimilitudine; nisi nota iam tot experimentis, eius mihi esset mentiendi libido. Nonne mortalem, nonne passibilem fuisse Christum, nonne in crucem à Iudæis actum virgis, atque alapis cæsum, mortuum, ac sepultum, sub Pontio Pilato fatemur? nonné eum, cum viueret fatigatum ex itinere, post ieiunium esurisse, nostra causa concedimus? qua ergo ratione, quoué ore, affirmare audet, docere nos, Christum hominem in his terris omni infirmitate caruisse, quæ peccatum non sit? Nisi forte quemadmodum motus sensualitatis, nolentibus etiam nobis, ac reluctantibus concitatos, peccata esse, homines isti acuti philosophantur, ita etiam lassitudinem, famem, dolorem, tristitiam, mortem, peccatum esse docuerint; vt ne dies vllus transeat, quin paradoxum aliquod cudant. Nunquam Catholici Theologi, nunquam Christianorum Ecclesia istas ineptias docuit: sed id, quod nemo, nisi impius vnquam negauit, quicquid

quid donorũm, atque charismatum diuinorum, creaturæ vlli concedi potest, id omne, quam fieri potest optima, ac perfectissima ratione in Christo concedendum esse; nisi eiusmodi sit, vt eo carere, ad redemptionis nostræ opus præstiterit; quia nulla alia causa excogitari potest, cur quicquam vnico, maximeque dilecto filio, cui non ad mensuram dedit Spiritum sanctum, Pater optimus, atque amantissimus denegarit; nisi quod, cum nostræ redemptionis opere aliqua ratione pugnaret. Eas igitur infirmitates omnes in Christo ponimus, quæ, & ad redemptionem nostram melius exequendam faciunt, neque indecoræ, & turpes sunt; cæteras, etiamsi peccata non sint, religiosè, ac fideliter remouemus; cum exploratum habeamus, nos, neque ingeniosius excogitare posse, quibus bonis affici, ac prærogatiuis ornari Filij Dei humanitas posset; neque dignitati, & maiestati eius studiosius consulere, quam Deus ipse.

9. Denique etiam, (imponendus enim aliquando finis est, huic tractationi) ingentem mendaciorum aceruum, ad finem eius censuræ congerit, vt egregia eius controuersiæ clausula, quasi extremus fabulæ actus commendet auctorem. Nam, vt absurdum esse ostendat, quod Christiani affirmamus: Christum Dominum, sibi aliquid meritum esse; ait ex hoc intricatas, atque absurdas quæstiones oriri inter Scholasticos, ex quibus paucas enumeraturum se breuitatis causa pollicetur. Primam eam recenset, vtrum ab instanti suæ conceptionis meritus sit Dominus. *Lombardus*, inquit, *tertio sententiarum d.18.c.2. vult eum ab eo instanti sibi meritũ fuisse, quem pleriq; sequuntur: ex quo sequitur omnes Christi, quæ sunt postea consequutæ actiones, fuisse superuacaneas; neq; ex his, aut per eas, sibi quicquam meruisse, Thomas tamen ibidem art.3. & Durandus q.2.n.7. negant Christum ab initio conceptionis suæ sibi quicquã meruisse.* Duplex est in his verbis Danæi mendacium, quod duobus doctissimis viris non suam sententiam tribuit; Nam S. Thomas conceptis verbis docet, eum à primo conceptionis instanti, & mereri potuisse, & verò etiam meritum. Sic enim in tertio illo eius distinctionis articulo S. Thomas. *Dicendum est quod Christo debemus attribuere secundum animam omnem perfectionem spiritualẽ, quæ illi potest attribui, vnde cum possibile sit, ipsum in primo instanti suæ conceptionis actum meritorium perfecisse, dicendum est Christum in primo instanti meruisse:* id quod deinde egregia ratiocinatione confirmat. Durandus d. illa 18. q. 2. quanquam eam sententiam, quæ ne-

gat eum sibi in primo illo conceptionis instanti meruisse, non plane improbat, eam tamen etiam, quæ affirmat meruisse defendit nu. 7. his verbis. *Si anima Christi in primo instanti suæ conceptionis, potuit exire in actum scientiæ infusæ, non video quin potuerit exire in actum voluntatis meritorium, sicut ponit præcedens opinio; nihil enim obsisteret, nisi hoc, quod alicui posset videri, quod actus, quẽ habet creatura rationalis in primo instanti suæ creationis non esset in potestate eius, & sic non esset meritorius; istud autem non obstat; quia Deus, sicut ab æterno voluit quicquid postea voluit, & tamen aliqua voluit liberè, & non omnia ex necessitate, ita possibile est, quod creatura rationalis intellectualis in primo instanti suæ cõceptionis possit multa velle, nõ ex necessitate sed liberè, ac tale velle, meritorium potest esse, si cadat super debitũ obiectũ, cum debitis circumstantiis.* Hęc n. 7. Durandus, qui n. 8. & 9. soluit rationes, eius sententiæ, quæ eum tunc temporis negat quicquam promeritum. Pergit Danæus. *Alia quæstio*, inquit, *ab istis inducitur, propter hunc suum errorem; vtrum Christus mereri omninò vel sibi, vel aliis potuerit. Alij enim volunt, Christum, quia fuit comprehensor, non fuisse in via merendi: Alij sentiunt Christum, omnia simul habuisse, ac proinde, nihil quicquam, vel sibi, vel aliis prorsus meruisse; nemo enim meretur, id quod iam habet.* Hæc Danæus, quibus mentitur, primo, quod ait ideo à Scholasticis quæri, vtrum omninò mereri potuerit Christus, quia concedunt eum sibi mereri potuisse. Qua enim ratione ex eo potest oriri vlla dubitatio, vtrum Christus mereri omninò potuerit, quod sibi aliquid meritus asseratur? Quærunt illi quidem, vtrum mereri potuerit, quia explicandum hoc etiam Christiano Theologo est, atque afferenda eius rei ratio; sed ea quæstio aliunde oritur, vt satis apparebit Scholasticorum scripta legenti. Mentitur secundo, quod ait non nullos Scholasticos negare Christum fuisse in via merendi, quia comprehensor fuit; hoc enim hæreticum est paradoxum; neque vllum proferet scriptorem Catholicum, qui hoc asserat. Proponunt quidem scriptores Scholastici, eam rationem, qua effici videtur, eum mereri non potuisse: qui est comprehensor, non est in via merendi, Christus fuit comprehensor, ergo non fuit in via merendi; sed eam etiam acutè, & grauiter soluunt: eum non esse in via merendi, qui ita est comprehensor, vt nulla ratione viator sit: at eum, qui & viator est, & comprehensor, mereri posse, non quidem qua comprehensor est, sed qua viator. Et verò ij, qui, teste Danæo, concedunt Christum mereri sibi potuisse, atq; adeo fuisse promeritum, qua ratione

nega-

negauerint fuiſſe eum, in ſtatu, ac via merendi? Aut qua ratione, qui Caluinum, eiusque progeniem, tanquam Hæreticos iure auerſamur, quod ſibi mereri Chriſtum non potuiſſe blaſphement; eos in Catholicis haberemus, qui, & ſibi, & aliis eum mereri non potuiſſe contenderent? Mentitur tertio, quod ait, nonnullos Scholaſticos, ſentire, Chriſtum ſimul omnia habuiſſe, ac proinde nihil quicquam ſibi, vel aliis prorſus meruiſſe. Non modo, quia nemo eorum, qui in Catholicorum numero habentur, negat Chriſtum, & ſibi, & aliis meruiſſe; ſed etiam quia eam rationem, quam Danæus affert, nemo vnquam ſanæ mentis attulerit. Nam Chriſtum exaltationem nominis, antequam prædicaretur Euangelium, impaſſibilitatem animæ, antequam moreretur, corporis impaſſibilitatem, & immortalitatem, antequam reſurgeret non habuiſſe, tam eſt manifeſtum, vt non, niſi ab inſano, reuocari indubium poſſit. Iam vero per Chriſtum ij etiam, qui conſequentibus ſæculis nati ſunt, hodieque naſcuntur, conſequuntur auxilia gratiæ Dei, vel vocantis ad fidem, & pœnitentiam, vel excitantis, & iuuantis ad bona opera; conſequuntur remiſſionem peccatorum, & animorum beatitudinem, ſperant glorificationem corporum; quæ omnia, cum nulla planè eſſent, quo tempore Chriſtus conceptus eſt, ne fingi quidem poteſt ea iam tum habuiſſe. Qua ergo ratione, quisquam ſui compos dixerit, ea, quæ mereri Chriſtus poterat, ſimul omnia ſemper habuiſſe, ob eamq; rem mereri ea non potuiſſe? Docent quidem Scholaſticorum nobiliſſimi nonnulla Dei dona Chriſtum ita habuiſſe, vt ea non ſit promeritus, quia iis carere, eum nunquã decuit; at id, quod iam poſſidetur non benè cadit ſub meritum; omnia tamen, quæ vel ſibi, vel aliis meritus eſt eum ſimul habuiſſe, nemo eſt hominum qui ante Danæum ſomniarit. Pergit. *Tertia quæſtio,* inquit, *quid ſibi meruit Chriſtus, vtrum tantum duo hæc, impaßibilitatem, & immortalitatem animæ, id quod alij fatentur; alij negant, quaſi Chriſti anima ante mortem fuerit impaßibilis, cum ipſemet Chriſtus dicat, triſtis eſt anima mea vsq; ad mortem, Matth. 26. v. 38. vel quaſi anima à Chriſto aſſumpta, cum ſit humana, non eſſet absq; vllo alio merito, quemadmodum ceterorum hominum immortalis.* Quibus verbis mentitur primo, cum ait quæri à Scholaſticis vtrum Chriſtus meruerit immortalitatẽ animæ; nemo Catholicorũ ea de re quærit, qa nemo apud nos dubitat, vtrũ anima ſit immortalis. Lutheranorũ ea quęſtio, & Caluiniſtatũ propria eſt; quorum parentes, vt metu gehennæ, & religione animos hominum

ſoluerent,

soluerent, quæ scilicet caput, è cœli regionibus ostentabat, sin minus apertè docuerunt, non obscure quidem certè significarunt, cum corporib. animos interire. Caluino in psychopannychia, Christi anima, ne interiret, diuina virtute suffulta est, & Patri commendata, perire non potuit: hoc est, nisi Patri commendata, & diuina virtute ab interitu vindicata foret, fuisset interitura. Lutherus tom.5. in Ecclesiastem cap.6. v. 6. Rogerio teste sic loquitur. *Ex hoc loco patet mortuos sic dormire, vt nihil prorsus sciant.* Et infra. *Hic alius locus est, quod mortui nihil sentiunt* Ex quibus verbis, si Anabaptistæ digni vobis parentibus filij, animæ mortem collegere, profecto paralogismum, commisisse non videntur. Brentius in caput 20. Lucæ fol. 35. eodem teste Rogerio egregium de suis Lutheranis testimonium dicit. Tam ebriis inter pocula, quam sobriis in familiaribus colloquiis verba excidere, quod non sit mortuorum resurrectio. Vt non iniuria à fratribus, ac progenitoribus suis edoctus Beza, inferos in sepulchrum, animam conuerterit in cadauer: nimirum homini impio, quique præter Audebertum, & Candidam nihil cogitare didicisset; post mortem, nihil videtur esse reliquum, nisi cadauer, & sepulchrum. Ea igitur quæstio ad istos spectat, qui vel resurrectionem mortuorum in dubium reuocant, vel sensu omni spoliatas, mortuorum animas alto sopore demergunt, vel diuina virtute animam Patri commendatam fulciunt ne intereat. Nobis, vt iustorum animæ ad præmium, ita impiorum ad pœnam, inmortales sunt. Neque quærimus, vtrum meritus sit Christus, id quod habuit natura sua. Mentitur secundo, cum ait fateri nonnullos Scholasticos Christum immortalitatem animæ fuisse promeritum. Nam neque ea de re quicquam quærunt, & si quid quærerent non sunt ita hebetes, vt cum immortalem esse animam dicant, eius immortalitatem concedant cadere posse sub meritum. Mentitur tertio cum indicat Scholasticos dicere, ita meritum esse Christum impassibilitatem animæ vt eam sit è vestigio consequutus. Non erat opus id ex iis Matthæi verbis probari, quod certissimum, ac manifestissimum est Christi animam antè mortem impassibilem non fuisse; qua enim ratione dolorem vllum sensisset in corpore, si anima illa, nihil pati potuisset? Nam corpus natura sua brutum, si auellatur ab anima, neque dolere, neque delectari potest, anima verò impassibilis, quo dolore potest, aut ægritudine violari? Docent

quidem

quidem Scholaſtici impaſſibilitatem non modò animi, ſed etiam corporis, ſibi Chriſtum Dominum meruiſſe, ſed vt opus redemptionis exequeretur, non ante conſequutum eſſe, quam obita morte reſurgeret. Atq; vt euidentius hominis iſtius, in mentiendo impudentia teneatur; deſcribam hîc aliqua ex Lombardo. Is in ea diſt. 18. quam Danæus citat, cap. I. hanc inſcriptionem præponit. *Si Chriſtus meruit ſibi, & nobis, & quid ſibi, & quid nobis.* Probat deinde teſtimoniis Patrum non nobis ſolum, ſed ſibi etiã meruiſſe: quoniã autẽ ita docent Patres Chriſtum ſibi aliquid meruiſſe, vt ſimul doceant, quid meritus ſit, ita cõcludit ex eorũ teſtimoniis Lombardus. *His teſtimoniis euidens fit, quod Chriſtus per humilitatem, & obedientiã paßionis meruit clarificationem corporis; nec id ſolum, ſed etiã impaßibilitatem animæ: anima enim ipſius, ante mortem erat paßibilis, ſicut caro mortalis; ſed poſt mortẽ, merito humilitatis, & anima impaßibilis facta eſt, & caro immortalis. Vtrum autẽ anima ſit facta impaßibilis, quando caro facta eſt immortalis, ſcil. in ipſo reſurrectionis momento, de auctoritate nobis certũ non eſt, ſed, vel mox, poſt carnis ſeparationem, anima impaßibilitate donata eſt, aut in reſurrectione, quando caro refloruit.* Vbi vides, dici quidẽ meritum ſibi Chriſtum impaſſibilitatem animæ, ſed eam non, niſi poſt mortem adeptum. Item meritum ſibi immortalitatem corporis, ſed de animæ immortalitate, quam ex merito conſequutus ſit Dominus, ne verbum quidem vllum fieri. Sed ne hîc quidem mentiendi Danæo finis. Pergit. *Quare exoſus Lombardus*, inquit, *cap. 3. & 4. ſcribit hæc duo habuiſſe ſine merito. Alij volunt ſibi meruiſſe gloriam corporis, dumtaxat, alij addunt nomen, & dignitatem eam, per quam eſt ſupra omne nomen. Deniq; ſic iſti inter ſe digladiantur, & incerti diſcedunt, vt nihil ex eorum ſententia conſtitui poßit.* Quibus verbis mentitur, primò quod docere Lombardum c. 3. & 4. ait Chriſtum ea duo, immortalitatem, ſcil. atq; impaſſibilitatem animæ, ſine merito habuiſſe. Mentitur, inquam, non ſolum, quia immortalitatem animæ, vtrum ex merito habuerit, Lombardus, ne loquitur quidem in tota ea diſtinctione, ſed etiam, quia diſerte docet, impaſſibilitatem animæ, corporis verò impaſſibilitatem, & immortalitatem Chriſtum Dominum ex merito conſequutum. Capitibus verò 3. & 4. aut ea de re non diſputat, aut contra Danæum ſcribit. cap. 3. quærit, quomodo nominis exaltationem ſibi meritus ſit Dominus; quæ diſputatio, nihil ad quæſtionem hanc facit; quia tamen Chriſtum Dominum ſibi impaſſibilitatem animę, atq; immortalitatẽ corporis, meritum eſſe ab inſtan-

M ti con-

ti conceptionis his verbis capite superiori concluserat. *Meruit ergo à conceptione, non modo gloriam impaßibilitatis, aut immortalitatis corporis, sed etiam impaßibilitatem animæ:* hoc inquam, quia extremo c. secundo docuerat, vt cum superioribus, posteriora coniungeret; *Nec tantum*, inquit initio cap. 3. *gloriam impaßibilitatis, & immortalitatis meruit, sed etiam donari sibi nomen, &c.* Quare cap. etiam tertio docet Magister, immortalitatem corporis, atq; impassibilitatem animæ sibi Dominum meruisse. cap. verò quarto quærit, vtrum, hæc omnia dona potuerit sine merito habere, atq; vt respondeat distinctionem adhibet. nam si naturam humanam gloriosam, atq; immortalem assumere, ac nomen suum alia ratione illustrare voluisset: ait, fieri potuisse vt hæc dona, sine merito possideret: *sed homo paßibilis*, inquit, *esse non potuit, sicut fuit, & ad illam gloriam, sine merito peruenire.* Duplex igitur Danæi mendacium est, quia duos locos Lombardi falsò citauit. Mentitur secundo, cum ait, nonnullos Scholasticorum docere Christum Dominum, non nisi gloriam corporis meruisse; nam apud omnes, qui fideliter verbum Dei suscipiunt; eiq; tanquam Dei verbo fidem habent; indubitatum est; quia humiliauit se Dominus Iesus, factus obediens vsq; ad mortē, propter hoc accepisse nomen, quod est super omne nomen; neq; id, nisi à Caluino, aliisq; Hæreticis, in dubium vnquam reuocatum est. Certe in tam multis accusationibus Scholasticorum, nominatim, designare eos debuit, qui hęc dicebant, vt adiri eorum libri, & consuli, ac fides accusationis probari posset. At Danæus, præter Lombardum, S. Thomam, ac Durandum, quos calumniatus ex chirographo conuictus est, neminem nominat. Mentiri eum tertio dicerem, quod ait ex Scholasticorum nonnullorum sententia, Christum sibi, non solum nomen, sed etiam dignitatem, qua est super omne nomen, fuisse promeritum; cum dignitas, qua Christus est super omne nomen si propriè loqui velimus, nihil aliud sit, quā esse filium Dei; quod, cum natura Christus habeat, non potuit, aut suis actionibus, aut aliena liberalitate adipisci; Mentiri, inquam, eum, ea quoq; in re dicerem; nisi dissimulare, plurima potius, quam quicquam nimis ad viuum resecare vellem videri. Potest enim illa nominis claritudo, ac gloria dignitatis vocabulo vtcumq; significari. Neq; verò verendum est, ne si liberalius egerimus cum Danęo, mendacia desint, quę numerentur; Octo quidem certè, & viginti, minimum, hoc capite recensuimus, eaq; ex vna tantum controuersia, nec diligentissime conquisita.

Quæ

Quæ aduersus Bellarminum mentitur Danæus, controuersia prima, libro primo.

CAPVT VII.

QVA fide non Patres modo, ac Scholasticos, quos partim contemnit, partim odio insequitur, sed etiam sacrosancta scripturarum oracula, quæ dictata, atq; exarata diuinitus fatetur tractauerit Danæus, satis opinor, superioribus capitibus demonstrauimus. Reliquum est, vt ea, quæ nominatim aduersus Bellarminum mentitus est, cuius vnius odio, tam mala, ac perdita prorsus fide se gessit in reliquos, consequentibus capitibus proferamus.

1. Libro primo controuersiæ primæ ad tertium caput, quo capite explicat Bellarminus, ea verba Apostoli 2. Cor. 3. littera occidit, Spiritus autem viuificat, Danæus hæc scribit. *Putat Bellarminus, litteræ nomine legem ipsam, à Deo Moysi datam significari; quoniam & scripta est, & leges, id est, præcepta de piè, sancteque viuendo continet, & habet col. 10. l. A. quæ impleri non possunt à nobis.* Quibus verbis, tria minimum mendacia continentur. Primum, quod ait litteræ nomine, ex Bellarmini sententia, legem ipsam à Deo datam Mosi significari quia scripta est. At Bellarminus ait legem Mosi dictã fuisse litteram, quia Moses, cum legem datam à Deo deferret ad populum, nihil detulit aliud, quàm litteras incisas in lapide; Christi verò legem, ait dici Spiritum, quia Christus, nec litteras vllas scripsit, nec ab alio scriptas attulit: sed Spiritum dilectionis, & gratiæ, qui ne scribi quidem potest, cordibus suorum afflauit. Non ergo, quia scripta est lex Mosi, litteram dictam ait Bellarminus veterem legem; sed quia ita scripta est, vt legislator eius, nihil attulerit aliud, nisi leges incisas in lapide. Spiritum vero, quo voluntas ad legem implendam impellitur, & iuuatur, ex monte nõ detulit. Alterum mendaciũ est, ꝙ ait docere Bellarminum, ideo dici litteram, quia continet præcepta de piè viuendo, quę seruare nõ possumus. At Bellarminus eo loco, in quo explicat, cur ea lex littera dicatur, nusquã meminit præceptorũ, de rectè, ac piè viuẽdo; sed infra cum explicat cur dicatur litera occidere, qua de re mox disputabimus. 3. mendacium est

quod ait Bellarminum dicere, præcepta legis impleri à nobis non posse. Hoc Bellarminus non docet; quod suo etiam loco, contra recentes Hæreticos acerrime impugnat. Sed cum docet, cur dicatur littera occidere, ait, gratiam, sine qua implere præcepta non possumus, non fuisse vi legis Mosaicæ collatam. Sed, vt solet, mendacio mendacium, velut in catena annulo annulus conseri, noui mendacij ansam ex superioribus accipit. *Si quia quæpiam doctrina,* inquit, *scripta est occidit: occidet quoque Euangelium, quoniam ipsum quoque scriptis mandatum erat.* Quibus verbis, illud Bellarminum docere innuit, legem Mosi, dici occidere, quia mandata litteris est. At Bellarminus istas ineptias ne somniauit quidem. Sed propter duas causas, ait ex Augustino legem, sine gratia, litteram occidentem ab Apstolo vocari. *Primum*, inquit, *quod cum impleri non possit, eum, cui datur, quodammodo prævaricatorem efficiat. Lex, inquit idem Apostolus Rom. 4. iram operatur, vbi enim non est lex, nec prævaricatio. Deinde, quod ipsa prohibitione concupiscentiam augeat, nam vt ille recte ait. Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. Occasione, inquit Apostolus, accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Rom. 7.* Hæc Bellarminus. Ex quibus vides, quam luculentum sit hoc Danæi mendacium. Addit post pauca aliud non minus illustre mendacium; docere Bellarminum testamentum nouum, id est, ipsam scripturam de Christo editam, nobis gratiam afferre. At Bellarminus ita scribit. *Testamentum nouum*, inquit, *per se, ac propriè, non legem affert, sed gratiam: nec litteræ, sed Spiritus solius ministerium est; nihilque est aliud, quam caritas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: quod tanto ante Propheta prædixit, cum ait Hieremias 31. Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam Israel, & domui Iuda fœdus nouum; non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus vestris, in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti; pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum; dicit Dominus; sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël, post dies illos dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Vbi hic, ipsa scriptura, de Christo edita gratiam afferre dicitur? cum testamentum nouum solius Spiritus ministerium, nihil esse aliud perhibeatur, quam caritas Dei, diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, idque ita esse vaticinio Hieremiæ confirmetur? apud quem Dominus pol-

nus pollicetur fore vt in nouo fœdere in eundo, in visceribus, & cordibus filiorum Israël; atq; vt ait Apostolus, in tabulis cordis carnalibus legem suam incidat.

2. Iam verò in iis, quæ scribit ad caput septimum, octauum, & nonum, quia veris, aut etiam probabilibus rationibus non potest; mendaciis in Bellarminum disputat. Quærit Bellarminus capite septimo quis fuerit Artaxerses, is, qui Ester in matrimonium duxit; aliorumque sententiis confutatis, quod longissime abesse videantur à vero; meminit tandem Artaxersis Mnemonis, quem multi viri eruditi, & graues existimant fuisse virum Esteris. Sed eam quoque sententiam, quamuis non æque improbabilis sit, ac superiores, refellit tamen; & quæstionem ita concludit. *Est igitur postrema sententia; eaque meo iudicio maxime probabilis Iosephi lib. 11. cap. 6. nec non Sulpitij libro 2. sacræ historiæ, & Nicephori Constantinopolitani in Chronico, & multorum aliorum, quos sine nomine refert Eusebius in Chronico; qui docent Assuerum maritum Ester, non alium esse posse, quam Artaxersem, qui dictus est Longimanus; quam sententiam nos etiam sequimur; tum, quod argumenta, quibus alias sententias refutauimus, aduersus hanc nihil efficiunt; tum etiam, quia, si cui fides habenda est in hac historia, maxime Iosepho, qui & Hebræus, & Sacerdos, & peritissimus rerum Hebraicarum erat.* His vbi sententiam suam confirmauit, pergit deinde reliquo cap. diluere argumenta, quæ eam sententiam videri possunt labefactare; At egregius hic Caluinianæ sectæ propugnator. *Iosephi sententiam,* inquit, *aliis præfert, lib. 11. c. 6. antiquitatum, quam ipse, eadem col. l. D. planè, & vere refutat.* Addidisses etiam Danæe, qua ratione eam confutet, vt tuam, vel imperitiam, vel improbitatem apertiorem redderes: nam toto eo capite, ne verbum quidem dicit aduersus eam sententiam Bellarminus. Simili artificio, reiicit ea, quibus Bellarminus probat, cap. 8. librum Baruch esse canonicum. *De libro Baruch agens,* inquit, *vt eum ἀποθεώσῃ, & canonizet, temerè tribuit eum Hieremiæ col. 76. l. A. Atqui hoc ipsum perspicue refutatur, ex ipso statim initio libri Baruch, qui hunc librum, & à se, non ab Hieremia, & Babylone, non in Iudæa, vbi erat Hieremias, scriptum attestatur.* At Bellarminus, nunquam dixit, librum Baruch esse Hieremiæ; sed postquam probauit eum esse canonicum auctoritate multorum, qui eum nomine Baruch citant; *Denique,* inquit, *veteres passim allegant hunc librum sub nomine Hieremiæ; propterea, quod Baruch, Notarius, & discipulus fuerit Hieremiæ, vt patet ex libro Hieremiæ c. 36.*

quæ causa fuit, cur Concilia antiqua, & Patres, non posuerunt Baruch nominatim in canone, quia nimirum hunc librum partem esse iudicabant Hieremiæ vaticiniorum; ac citat deinde Clementem Alexandrinum, Ambrosium, Basilium, Chrysostomum, Augustinum, Sixtum primum, & Fœlicem quartum Papas, qui omnes eum librum allegant sub nomine Hieremiæ. Non ait igitur Bellarminus eum librum à Hieremia conscriptum, aut verbatim dictatum, excipiente Baruch; sed habitum à veteri Ecclesia partem vaticiniorum Hieremiæ; quia Baruch, quę à Hieremia aliquando audierat, in commentarium postea retulit; quare, quemadmodum, doctrina, quam habemus in Euangeliis, eadem doctrina Christi est, quia Christus eam docuit; eadem verè dicitur doctrina Euangelistarum; quia, quæ ille aliquando docuit, illi postea diuino afflati Spiritu, litteris consignarunt: ita etiam, de libro Baruch, sensit antiquitas, eum librum continere vaticinia quædam Hieremiæ, quæ à Baruch per Spiritum sanctum, conscripta, ac tradita Ecclesiæ fuerint. Addit, pugnare secum ipsum Bellarminum capite 9. *Negat,* inquit, *ea ipsa Danielis capita, esse veri Danielis, & Prophetæ eius ipsius, cuius facta est ab Ezechiele mentio c. 14. & tamen idem Bellarminus col. 26. l. C. affirmat ea ipsa capita esse veri Danielis, & Prophetæ, ac propterea canonica scripta.* Quibus Danęi verbis, duo mendacia comprehenduntur. Alterum, quod ait, docere Bellarminum ea capita libri Danielis, de quib. inter nos, & Hæreticos controuersia est, non esse veri Danielis, & Prophetæ; quod nusquam scripsit, aut dixit Bellarminus, qui canonicam, & Propheticam scripturã, ea quoq; capita esse, cum Ecclesia Dei confitetur; quanquam dixit non esse improbabile, non eiusdem esse Danielis, cuius est reliqua scriptura Danielis; Neq; verò, continuo sequitur, si hæc scriptura non est eiusdem Danielis, cuius est illa alia, illum alterum non esse verum Danielem, neq; Prophetam; quid enim prohibet, quominus duo esse potuerint, Danieles, quos Spiritus sanctus afflatos, Prophetas effecerit. Alterum mendacium est, quod ait Bellarminum affirmare, ac negare absolutè totum eum librum, qui Danielis nomine in Ecclesia Dei legitur, esse eiusdem; cum Bellarminus, primò respondeat ad obiectionem aduersariorum, ostendatque, etiam si dicamus, eundem fuisse Danielem, nihil absurdi sequi: deinde verò dicat, alia etiam ratione solui aduersariorum argumenta posse, si dicamus non eundem fuisse Danielem. *Adde,* inquit, *quod non est improbabile, non eundem esse Danielem istum, qui Susannam liberauit,*

uit,

uit, Bal destruxit, ac draconem interfecit, & in lacu Leonum sex diebus fuit, cum eo, de quo agitur in superioribus capitibus, id enim multos olim sensisse testatur Hieronymus, præfatione in commentarios Danielis; & aperte Græca editio septuaginta habet, hunc posteriorem fuisse de tribu Leui, vt ibidem Hieronymus notat, cum certum sit priorem fuisse de tribu Iuda; quæ si ita se habent, duo argumenta iam facta, nullam habent difficultatem. Denique illud etiam addit, ne quid ad summam mentiendi impudentiam, in Danæo desideres. *Quid, quod,* inquit, *Bellarminus non aduertit, cum illa scripta, & capita à Patribus citantur, non vt canonica scripta, sed vt historica tantum citari; id quod ex Martino Kemnitio discere poterit.* Quibus verbis, non modo mentitur, non animaduertisse Bellarminum, illud Kemnitij miserum planè perfugium; quod mendacium, ad caput etiam decimum tanto impudentius, repetit, quanto euidentius eo capite, totum illud Kemnitij commentum refellitur; non hoc, inquam, solum mentitur, sed illud etiam, à Patrib. ea scripta non vt canonica, sed vt historica tantũ proferri, cum Cyprianus, de oratione dominica, & sermone de lapsis, ea Danielis capita vocet diuinam scripturam; Chrysostomus, historias trium puerorum, & Susannæ, sermone de trib. pueris, & de Susanna, vocet diuinas: Ambrosius lib. 3. de Spiritu S. cap. 7. historiam Susannæ vocet diuinam scripturam; Origenes studiosè defendat, has partes Danielis, & præcipuè Susannæ historiam, esse scripturã canonicam, tum homilia prima in Leuiticum, tum in Epistola ad Iulium Africanum; Beatus Athanasius in Synopsi, ita de libro Danielis disputet, vt apertè indicet Susannæ historiam, Hymnum trium puerorum, & historiam draconis interfecti ad corpus diuinæ scripturæ pertinere, quos omnes citat cap. 9. Bellarminus, quod idem ex cap. 8. de libro Baruch probari posset.

3. Ad caput decimum, à mendacio orsus, vix quicquã scribit præter mendacia. *Hoc toto capite,* inquit, *quam longo, contendit Bellarminus duos esse hos, libri alicuius pro canonico admittendi modos; scilicet, si quispiam ex Patribus, eum librum, vel diuinum, vel canonicum appellarit, col. 31. l. D. & si aliquod Concilium generale, librum eiusmodi, ex aliquo hominum fide dignorum testimonio inter canonicos annumerarit.* Quibus in verbis, tot sunt mendacia, quot sententiæ. Primo enim, mendacium est toto eo capite nihil aliud agi; nam primo probat Patrum, & Conciliorum auctoritate Bellarminus, libros esse canonicos Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorũ volu-

mina: deinde refellit ridiculam illam distinctionem Kemnitij; qui, cum Patrum, & Conciliorum auctoritate opprimi se sentiret, à quibus ij libri, pro canonicis habiti sunt; duplicem, nescio quam, libri canonici acceptionem somniauit; qua euersa, de modo recipiendi scripturas in canonem disputat; quia hoc in primis quærit, secunda aduersariorum obiectio, ac demum tertiam obiectionem proponit, ac soluit. Ita id, quod in eo capite vnius obiectionis responsio est; Danæus totius capitis constituit argumentum. Deinde mendacium est Bellarminum docere, hoc ipso librum aliquem inter canonicos numerari oportere, si quispiam ex Patribus, eum, vel diuinum, vel canonicum appellarit. Docet ille quidem, contra insulsam Kemnitij distinctionem, cum à Patribus liber aliquis, vel diuinus, vel canonicus appellatur; significari eum librum esse certæ, atque infallibilis veritatis, atque auctoritatis, idque ex Augustino confirmat; sed vnius, aut alterius Patris auctoritatem, sine vlla Concilij generalis, aut Pontificum probatione, & declaratione, satis esse ad recipiendum librum aliquem inter canonicos, neque docuit Bellarminus, neque somniare quisquam, nisi Hæreticus calumniandi animo potuit. Mendacium denique est, docere Bellarminum, si quod Concilium generale ex aliquo fide dignorum testimonio, librum aliquem canonicum censuerit, eum librum haberi canonicum oportere. Nam, & si verum est, idque fideliter Christiani omnes credimus, non posse Concilium generale legitime definiens errare in approbatione sacrorum librorum; tamen modus, quo vtitur, dum quærit vtrum liber aliquis canonicus, ac diuinus sit, longe alius assignatur à Bellarmino, quam quem Danæus sibi confinxit. Primo enim non ait Bellarminus ex aliquo hominum fide dignorum testimonio id decerni à Concilio, vel solere, vel posse; si quis enim fide alioqui dignus, vel leuiter affirmet, vel obiter innuat, ea ei' vel significatio, vel affirmatio est aliquod hominis fide digni testimonium; neque tamen in vllo graui, ac seuero iudicio; ne dum in Concilio Ecclesiæ vniuersalis, cui præsidet Spiritus sanctus per Christi Vicarium, idoneam probationem effecerit. Non igitur quodcunq; testimonium, hominum aliqui fide dignorum, satis esse ait Bellarminus, sed quod serio ab iis dictum, & considerate sit; qualia solent esse ea, quæ scriptis diserte mandantur à viris prudentibus. Dicit

ergò

ergo satis esse, si habeat generale Concilium aliqua testimonia hominum fide dignorum, illius temporis, quo Scripturæ conditæ sunt, vel saltem proximi. Quod ipsum mox fusius explicans: *Fatemur*, inquit, *Ecclesiam nullo modo posse facere librum Canonicum de non Canonico, nec contra; sed tantum declarare, quis sit habendus Canonicus, & hoc non temerè, nec pro arbitratu, sed ex veterum testimoniis, & similitudine librorum, de quibus ambigitur, cum illis, de quibus non ambigitur: ac demum ex communi sensu, & quasi gustu Populi Christiani: quomodo Diuus Hieronymus libro de viris illustribus in Iacobo, dicit, epistolam Iacobi, paulatim tempore procedente meruisse auctoritatem.* Vbi vides ex Bellarmino, præter testimonium antiquitatis in declarandis libris canonicis, duo alia solere spectari. Alterum libri eius de quo ambigitur, cum ceteris minimè dubiis similitudinem, tum doctrinæ, tum methodi, rationisque docendi, habet enim Spiritus sanctus, etiam in dissimili rerum genere, nescio quam similitudinem sui. Alterum, quod spectari solet, idque maximi momenti, est sensus communis Ecclesiæ. Nam quamuis fieri possit, vt singuli homines fallantur, neque ducantur Spiritu Dei in rebus fidei: totam tamen Ecclesiam decipi ac destitui à Spiritu Dei, qui cum ea mansurus in æternum, missus illi de cœlo est, planè fieri non potest. Quare, cum constiterit, communiter librum aliquem pro Canonico à fidelibus recipi, iam constat, dictante Spiritu sancto eum librum esse canonicum. Quem vniuersalis Ecclesiæ sensum declarare, deque eo iudicare, ad Pastores, ac Pastorum Principem spectat. Atque ex his aliud refellitur Danæi mendacium, qui ita nobiscum, & cum Bellarmino inprimis agit, quasi dicamus auctoritate Concilij vel Patrum, Scriptum aliquod de non canonico fieri canonicum. *Neque enim*, inquit, *vnius alicuius Patris, aut Ecclesiastici Scriptoris, iudicium priuatum hoc efficere potest, aut vera est causa, cur liber aliquis sit canonicus, neque item totius Generalis alicuius Concilij auctoritas, super hominum quorundam testimonio fundata, & ex eo pendens, potest aliquod scriptum ex non canonico facere canonicum.* Quod tantò impudentiùs Danæi mendacium est, quantò acrius de Kemnitio questus est Bellarminus in hoc capite, quòd hæc, & his similia nobis affingeret, à quibus absumus, quàm longissimè.

4. Ad caput 11. & 12. palmari mendacio locum illustrat, hæc enim sunt lumina Danaicæ orationis. Docere enim ait Bellarminum, ex Clemente, libros Tobiæ, & Iudith esse apocryphos, col. 62.

lit. A. locus quem citat est cap. 20. libri 1. vbi de apocryphis libris disputat Bellarminus, ac per eam occasionem agit de canone 84. qui Clementi adscribitur, quem negat sibi videri Clementis, cùm propter alias rationes, tum etiam, *quia in isto canone*, inquit, *numerantur libri Canonici, & omittuntur quidam, qui certißimè sunt canonici, vt liber Esdræ, Tobiæ, Iudith, Sapientia, Ecclesiasticus, Apocalypsis.* Vide quantum ab ista sententia Bellarminus absit, vt hos libros apocryphos à Clemente vocari, aut haberi doceat, vt eo nomine Canonem eum Clementis esse neget, non quod eos libros apocryphos censeat, sed quòd nominatim eos non recenseat inter canonicos. Porrò, si eum canonem Clementis esse Danæus contenderit, quæram ab eo, vtrum in apocryphis à Clemēte numerari eos libros putet, quorum non meminit; si affirmat, viderit ipse, qua ratione in canone retineat libros Esdræ, & Apocalypsim Ioannis, quos Clemens non numerat. Sin aūt non continuò expungit ex canone Clemens libros, quos non recenset, vnde colligit libros Iudith, & Tobiæ apocryphos à Clemente existimari, idque teste Bellarmino? Neq; verò caput 13. & 14. elabi sibi sine mendacio passus est. Negat pro libris Sapientiæ, & Ecclesiastici, vllum Concilium, quemadmodum pro superioribus confirmandis, & commendandis, citari, ac proferri. At capitis 13. initium illud est: *Liber Sapientiæ testimoniū habet ab antiquis Conciliis & Patribus, Concilium Sardicense, in epistola ad omnes Episcopos, cuius meminit Theodoretus lib. 2. hist. c. 8. Ex cap. 7. huius libri probat, Filium Dei esse rerum omnium effectorem, & verum Deum. Concilium item Toletanum, 11. cap. 1. librum Sapientiæ Scripturā sacram nominat.* Et c. 10. quo capite de libris Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabęorum, simul egit, pro his omnibus citauit Concilium Carthaginense, 3. can. 47. & Trid. sess. 4. Eodem planè mendacij genere vtitur ad cap. 15. quo de libris Machabæorum nominatim Bellarminus disputat; negat Danæus pro iis libris vllum Cōcilium afferri. At eos auctoritate Conciliorum, c. 10. confirmatos, iam antè fuisse satis cōstat. Neq; verò quamuis de iis Euangeliorum Marci, Lucæ, & Ioannis partibus, de quibus agit cap 16. Bellarminus, nobiscum Danæus sentiat, discedere ab instituto potuit, ac mendaciis tantisper abstinere. Primò enim non obscurè indicat neminem, saltem suorum de iis partibus dubitare. At certè, vt alij non dubitarint, dubitauit de historia adulteræ Theod. Beza; cuius nihil in hoc præsertim genere, Danæum latere potuit. Is enim, vt notauit Rogerius, ad caput Ioannis octa-

nis octauum hæc scribit: *Ad me, quod attinet, non dissimulo mihi meritò suspectum esse quòd veteres illi tanto consensu, vel reiecerunt, vel ignorarunt. Deinde, quòd narrat, Iesum solum fuisse relictum cum muliere in tẽplo, nescio quàm sit probabile, & quòd scribit, Iesum digito scripsisse in terra: nouum mihi, & insolens videtur; neque possum coniicere, quo modo possit commodè explicari.* Mentitur deinde, cùm ait, ideò repræhendi à Bellarmino Erasmum & Caietanum, quòd quæstiones eas agitent, quæ nihil hoc tempore dubitationis habent. Non hoc in iis repræhendit Bellarminus, nam quæstiones agitari possunt non modò ad refellendos aduersarios, sed etiam ad docendum, ne cui fortè in posterum eæ difficultates, quæ olim veteres vexarunt, offendiculo esse possint: quod & Patres olim fecerunt, & multi alij viri docti, & Bellarminus ipse summa cum laude præstat. Sed illud, & quidem meritò repræhendit, quod cùm Ecclesiæ vniuersæ consensu, nonnulli libri, de quibus olim dubitatum ab aliquibus est, iam recepti in canonem fuerint, ipsi suis, nescio quibus coniecturis adducti, de eorum librorum auctoritate dubitant, in quibus etiam numerant epistolam ad Hebræos. Quod mendacium, quia eo delectatur Danæus, repetit ad caput 18. sed quia semel mentiri satis non fuit, addit à Bellarmino, meritum de congruo, contra suam disciplinam, in sua solutione tolli, col. 55. lit. A. & bona opera præparatoria. Quo loco Bellarminus disputat de epistola Iacobi, quam quidam negant Apostolicam esse, quia bonorum operum meritum asserit, cùm pugnare id dicant cum eo, quod ait Apostolus, nos per fidem iustificari. Ad quod argumentum, quod est quartum aduersariorum, respondet his verbis Bellarminus. *Respondemus cum Augustino præfat. in Psal. 31. Apostolos non pugnare inter se, nam Paulus loquitur de prima iustificatione, qua homo fit iustus ex iniusto, & nomine operum, intelligit opera, quæ fiunt sine fide, & gratia, solis viribus liberi arbitrij: Iacobus autem loquitur de secunda iustificatione, qua quis ex iusto fit iustior, iuxta illud Apocalypsis vltimo, qui iustus est iustificetur adhuc, & nomine operum intelligit opera, quæ fiunt cum fide, & auxilio gratiæ* DEI; *quemadmodum enim non potest se homo procreare, vel à mortuis excitare, tamen postquam natus est, potest seipsum opere suo alere & augere; ita non potest peccator se ipsum iustum facere; potest tamen cùm iustus est, operibus suis augere iustitiam.* Quid in hac solutione non maximè Catholicum, aut vlla ratione pugnans cum merito

de congruo, vel operibus præparatoriis? Nam eá opera præparant & disponunt, ad gratiam iustificationis obtinendam, eamque merentur de congruo, quæ speciali auxilio Dei excitantis, ac mouentis animam ad bonum, fiunt ex fide diuinitus inspirata, cum spe obtinendæ misericordiæ, & dolore peccatorum, qui ex charitate procedit, non ea, quæ naturæ, ac liberi arbitrij viribus fiunt. At Bellarminus ea dumtaxat excepit, quæ fiunt sine fide, & gratia Dei, solis viribus liberi arbitrij. Aut ergo Danæus putat, actum fidei Diuinæ, spei, & dilectionis Dei super omnia, solis liberi arbitrij viribus, à nobis elici posse: atque ita Caluino deserto ad Pelagium transfugit. Aut certè mentitur, cùm opera præparatoria ad iustificationem, eorumque meritum de congruo, negari à Bellarmino tam impudenter dicit. Iam verò illud ridiculum, quòd, quia refert Bellarminus de Auctoribus Epistolarum Iacobi, Iudæ, Petri secundæ, secundæ, ac tertiæ Ioannis, Caietanum subdubitasse, Caluinum verò omnes illas pro veris Scripturis agnoscere. *Caietanum suum*, inquit Danæus, *miserè & durè flagellat, colum.53. liter. A pag.57. lit. B. eumque Caluino, & quidem meritò postponit, vi veritatis motus, & Caluinistas, in quorum odium sudorem tantum & laborem exantlauit: tamen laudare & defendere cogitur.* Hæc Danæus: quibus libet ipsa Bellarmini verba subiicere, vt videas quàm hæc verè dicantur. *Caietanus*, inquit, *de Authoribus Epistolæ Iacobi, Iudæ, secundæ ac tertiæ Ioannis, dubitat· & propterea etiam eas minoris auctoritatis vult esse, quàm cæteras. Porrò Caluinus omnes recipit, & Caluinistæ in illa confessione Pissiacensi artic.3. Nobis iam non licet aliud sentire, quàm esse has Epistolas Apostolicas & Diuinas.* Vbi hîc illa flagella, quibus tam miserè proscinditur Caietanus? vbi illa Caluini, & Caluinistarum laus? Quibus verbis Caluinus Caietano, tam luculenter præfertur? Consensit aliquando, nescio quo casu, Ecclesiæ Catholicæ Caluinus; neque enim omnibus horis, atque omnibus in rebus, aut amentes, insaniunt, aut Hæretici à veritate discedunt; nescio quo errore animi, atq; imprudentia allucinatus est Caietanus; ita tamen vt paratus esset, suum Ecclesiæ iudicio submittere. Veritatem, etsi non ideò recipimus, quia Caluinus dixit, non ideò tamen reiicimus, quia imprudens in eam incidit, neque enim cum homine, sed cum erroribus eius bellum gerimus, quem ideò auersamur, quia homo superbus & arrogans, errores suos tueri pertinaciter, quam Ecclesiæ vniuersæ, hoc est, Dei, per eam loquentis iudicium

cium sequi maluit. Qui ne tum quidem orthodoxus fuit, cùm verum dixit, quia bonum non benè docuit: suis potius nescio quibus argumentationibus nixus, quam reuelationi Spiritus Sancti, quæ nobis per Ecclesiam innotescit.

5. Sed me luculentissimus huius libri locus, ad se iam diu vocát, quo Danæus caput. 20. benè longum, ac multiplicis eruditionis doctrinæquè plenissimum paucis lineis, sed multis mendaciis confutat. Obiicit enim Bellarmino, quod ab omnibus Patribus discedat. *Ne omnes Patres*, inquit, *vno telo iugulasse videretur, quorum nemo vnquam repertus est, qui non aliquos libros esse apocryphos affirmet; quos autem illi vocant apocryphos iste canonicos facit, tamen rima aliqua fuit excogitanda.* Primò mendacium euidens est, ab omnibus Patribus Bellarminum discedere, qui in probandis libris canonicis Patrum testimoniis tam multis, ac grauibus, vsus est toto hoc libro, vt passim Danæus questus ea de re sit, cum diceret, hominum priuato iudicio libros in canonem referri, ità ad caput 18. 17. 15. & alibi. Mentitur deindè cum ait, eos libros, quos Patres apocryphos vocant, canonicos à Bellarmino fieri. Nam, quos, aut omnes, aut maxima pars Patrum reiicit, nos quoquè vno omnes ore ex canone remouemus. Sed, si vnus aliquis, aut pauci Patres, vel aliquem librũ apocryphum credidere, vel de eius auctoritate fuere dubii, cæteri vero eum vt verum, ac genuinum Diuinæ scripturæ librum, recipiunt; non ideò Patres deserimus, quia eorum pluribus consentimus. Iam illud, quam ridiculum est argumentationis genus; nemo est Patrũ, qui non aliquos libros esse apocryphos velit, quos illi faciunt apocryphos Bellarminus in canonem refert, ergo vno omnes telo iugulantur. Egregiè, si cum eundem librum omnes apocryphum esse velint, Bellarminus tamen in canonem recipiat: sed si vnus Machabæorum libros, verbi gratia, alter sapientiam Salomonis, alius Ecclesiasticum, aut Iudithæ librum apocryphum dicat, & quos vnus improbet, reliqui vniuersi probent, ideò né vno omnes telo conficiet, qui Iuditham contrà vnius, Ecclesiasticum, aut Sapientiam, cõtrà alterius auctoritatem admittat? Dicat nobis magnus hic ex Melanchthone Dialecticus, quid tandem sit à disiunctis ad coniuncta paralogismum committere, si hoc est ratiocinari? Sed rimam illam, quam Danæus reperit in Bellarmino inspiciamus. *Hæc est*, inquit, *quod quisquilias ex illis, & particulas quasdam colligit, quos iste solos libros àpocryphos appellat, & à Patribus ait fuisse*

appellatos; has igitur solas negat esse canonicas. At Bellarminus, præter plurimos, quos à Gelasio numeratos haberi ait, dist. 15. canone sancta Romana, quosque ab Innocentio, Athanasio, Eusebio recenseri dicit, qui magna ex parte non extant, & præter nonnullas librorum particulas, quas quisquilias Danæus vocat: numerat librum Hermetis, qui Pastor inscribitur, librum tertium & quartum Machabæorum, tertium & quartum Esdræ, quæ profectò particulæ non sunt, sed integra volumina. Mentitur ergò Danæus, cum ait Bellarmino solas quorundam librorum particulas inter apocrypha recenseri. Præterea mendacium illud quoque est, quod ita Danæus loquitur, ac si Bellarminus eorum librorum, quos Patres apocryphos absolutè appellarunt, particulas nõnullas dumtaxat apocryphas esse diceret, deque iis Patres loquutos doceret, cum eos libros apocryphos appellarunt; vt ità deriuata à toto opere, ad vnam aliquam partem huius nominis inuidia, reliquus liber Patribus inuitis retineatur. Mendacium, inquam, hoc est, neque enim cum de apocryphis agit, numerat Bellarminus alias particulas, præter orationem Manassæ, quæ 2. Paralipomenon subiicitur. Psalm. 151. qui Psalterio Dauidis additur, atque appendicem libri Iob; at ij omnes libri, ex quibus has particulas, tanquam apocryphas remouemus, Caluinianis etiam testibus, nunquam dubiæ auctoritatis in Ecclesia fuerunt. Sed pergit Danæus. *In quo tamen ipso*, inquit, *à suis confutatur, & æstuat in contrariis obiectionibus soluendis.* At à quo tandem confutatur in his librorum particulis reiiciendis? aut quas obiectiones Catholicorum pro iis affert? Nam tertium & quartum Esdræ, tertium & quartum Machabæorum pro quibus obiectiones aliquot affert, & dilucidè admodum, ac facilè soluit, particulas librorum si appellat ridiculus est Danæus. Denique ità confutatur à suis, vt omnes eos libros, easque librorum particulas, quas in apocryphis hoc capite numerat Bellarminus, in Bibliis vulgatæ editionis Romæ editis Pontificum deinde censura loco mouerit. Concludit denique, *Rerum veritatem*, inquit, *in duobus posterioribus Esdræ libris negat, pag. 62. l. D. tuendis, dum ait Patres in his libris sequutos esse Hebræos.* At Bellarminus duos posteriores Esdræ aperte reiicit è canone, non tuetur. Sed quam tandem rerum veritatem negat? An quia ad alteram difficultatem respondet. *Et si in Græcis Codicibus duo libri Esdræ sunt nostri tres; tamen non propterea Concilia antiqua, & veteres Patres, qui in canone ponunt duos libros*

Esdræ

Esdræ, intelligere nomine duorum nostros tres, quod ij Hebræos, non græcos Codices apertè sequuti sunt, Hebræi autem tertium Esdræ non habent: an, inquam, quia hoc ibi docuit rerum veritatem negat Bellarminus? At vndè hoc Danæus colligit? aut quibus auctoribus probat? Deniquè, si posteriores illos Esdræ libros expungit ipse ex canone scripturarum, quam ob causam Bellarmino succenset, quod neget eos ad canonem pertinere? An vt vbiquè veteris Ecclesiæ fidem, iudiciumque contemnat, mauult dicere canonicum quidem à maioribus nostris tertium Esdræ habitum, atque in canonicis à veteribus Conciliis numeratum, sed immeritò? At, vt id, illi, tanquam Hæretico fortasse licuerit; nobis certè Christianis non licet, qui, vt originem fidei nostræ, iam indè ab Apostolis eorumque successoribus repetimus; ità veteris Ecclesiæ & vestigia sequimur, & scita veneramur.

6. Reliqua est totius libri censura, (hanc enim methodum, toto hoc opere Danæus seruat, vt post exagitata singula capita censuram totius libri subiiciat:) in qua suum illud, vt mentiatur, constanter, ac strenuè seruat. Hoc ait esse alterum Bellarmini in eo libro vitium, quod ità argumentatur. Patres nonnulli, aut Concilia, ex hominum nonnullorum priuato iudicio, N. librum canonicum appellant; ergò est verè canonicus. Additquè ab ipso Bellarmino hanc argumentationem eludi, dum sic scribit. cap. 2. *De libris istis pauca dicamus; qui tametsi non nullis canonici visi sunt, tamen iure, ac meritò nō canonici, sed apocryphi nominantur.* Ac demum eum locum his verbis claudit Danęus. *Eodem modo ipse docet Genebrardum sodalem suum vitiosè colligere, de lib. 4. Esdræ: legatur locus.* Quo loco, mentitur primo, cum ait, ita argumentari Bellarminum, nōnulli Patres asserunt hunc librum esse canonicum, ergò est canonicus. Quanquam enim nonnullorum Patrum testimonium fidem aliquam, ac probationē iure optimo facit, quia virorum est, & grauium, & Doctorum, quos nequè fallere voluisse, nequè falsos esse verisimile est; tamen rem planè certam, & exploratam, pauca quædam illorum testimonia nō faciunt. Sed cum, aut omnes, aut plurimi consentiunt, tum verò veteris Ecclesiæ sensū, & cōsensum satis agnoscimus, à qua discedere, Christianis nō licet. Ad quę testimonia si iudiciū accesserit Ecclesiæ vniuersę, nisi quis infideli deterior esse velit; negare nō potest librū verè esse canonicū. Quarè falsū itē est, ꝙ ait eā argumētationē eludi à Bellarmino, qui totius Ecclesiæ sensū quę eos libros in apocryphis

habuit, priuato nonnullorum iudicio prætulit. Iam illud est illustre mendacium, quod ait de Genebrardo reprehenso à Bellarmino, quod Patrum auctoritatem sequutus, quartum Esdræ in canone reponit: & quia ad locum ipsum Bellarmini prouocat eum afferamus. *Quartus Esdræ*, inquit, *citatur quidem ab Ambrosio, libro de bono mortis, & lib. 2. in Lucam, & in Epistola ad Gratianum; tamen sine dubio non est canonicus, cum à nullo Concilio referatur in canonem, & non inueniatur neque Hebraicè, neque Græcè; ac demum contineat cap. 6. quædam fabulosa de pisce Henoch, & Leuiathan, quos maria capere non poterant, quæ Rabinorum Thalmudistarum somnia sunt. Itaque mirandum est, quid Genebrardo venerit in mentem, vt hunc etiam librum ad canonem pertinere vellet, in Chronologia sua pagina. 90.* En Bellarmini locus prolatus, atquè descriptus est; reprehensionem istam Genebrardi, quod Patribus auctoribus eum librum ad canonem pertinere docuerit, ostendat nobis iste tam seuerus censor. Vnus Ambrosius eum librum citat, eum Concilia non agnoscunt, reliqui Patres non attingunt, fabulosas narrationes continet; & mirum Danæo videtur, si Genebrardum miramur, quod reliquorum Patrum, & Conciliorum, auctoritatem vnius Ambrosii testimonio post habuerit? Tertium deindè Bellarmini vitium numerat æquiuocationem, quia canonici libri nomen non distinguit ea ratione, qua Kemnitius distinxerat; cuius distinctionem euersam à Bellarmino suprà iam diximus; sed né locus vllus sine mendacio sit, hæc subiicit. *Hanc generalem*, inquit, *istarum vocum notionem agnoscit tamen, etiam inuitus, ipsemet Bellarminus col. 6. l. A.* At multò profectò verius citasset columna nulla, litera post alphabetum. Distinxit quidem libri apocryphi acceptionem cap. 20. sed istam canonici libri diuersam acceptionem nusquam in libris Bellarmini inuenies; nisi, cum eam ex Hæreticis refert, vt refellat. Addit deindè Danæus, canonicos libros interdum à Patribus appellari, qui nonnullas sententias habent cum canonicis libris consentientes. Quam insulsam Kemnitii responsionem, vt condiat mendacio suo, sic ipse. *Hic*, inquit, *colum. 57. l. A. B. librum Enoch vocat canonicum, & col. 464. l. A. librum. 3. Esdræ.* Vtrumquè Danæi mendacium est. Nam Bellarminus. c. 18. cum de Epistola Iudæ disputat, ait cum multis Patribus, etiam in apocryphis aliquid esse veri; atquè huiusmodi esse, id, quod ex eo libro Enoch, Iudas Apostolus protulit; nequè tamen eam ob rem totum librum approbasse; sicut Paulus etiam

etiam ex Poëtis, nonnunquam veras sententias profert; quorum tamen libros, & fabulas non ideò probat tanquam scripturam canonicām.subdit deindè hęc verba Bellarminus. *At Iudas, inquit, Caietanus, librum Enoch, non vt apocryphum, sed vt propheticum citat. Respondeo cum Augustino lib. 15. de ciuit. c. 23. sine dubio credendum esse, Henoch aliquid Prophetici, & diuini scripsisse, & eius vaticinium insertum fuisse in eo libro, quem Iudas citat: sed eum librum propterea apocryphum esse: quod multa incerta, & fabulosa contineat, simul cum hoc vero vaticinio, quod Iudas citat.* Hic certè nusquam liber Henoch, qui nunc extat, aut extabat tempore Iudæ canonicus appellatur. Iam verò, quod tertium Esdræ canonicum à Bellarmino appellatum esse ait, mendacium euidens est. Sic enim caput. 20. claudit. *Porrò veteres Patres vtuntur interdum testimoniis ex hoc libro petitis, quem & nos non inutilem esse fatemur, sed & rarò id faciunt, & nusquam sacrum, & Diuinum appellant.* Vbi hic Tertius Esdræ à Bellarmino sacer, diuinus, aut canonicus appellatur? Huic deniquè primo libro, ac mendaciis suis colophonem imponit, mendacio & virulento, & frigido. *Et si plures,* inquit, *hoc scriptum compilarunt; solus tamen Bellarminus, magna animi ambitione, totam istius libri, & operis inuidiam in se deriuauit.* Quæro ex Danæo, quibus auctoribus compererit, à multis opus hoc compilatum? quibus argumentis, aut coniecturis id ità esse ostendat? Certè stylus idem est, & semper sui similis doctrinæ methodus, eruditionis vbertas, perspicuitas, cum candore, ac simplicitate coniuncta grauitas. Vnum illud argumentum reliquum est, quod mirantur aduersarii, in vno aliquo homine esse tantam eruditionem, doctrinam, acumen, linguarum peritiam, variam lectionem; & quod omnes in vnum conflati assequi ipsi non possent; id in vno Iesuita esse potuisse non credunt. Ego verò, qui eodem cum Bellarmino aliquot annis domicilio vsus sum, & mecum omnes ij, qui eodem tempore Romæ è nostra societate vixerunt, affirmare, etiam sanctè, possumus, eum non modò aliorum opera non vsum, sed ne anagnostem quidem, aut amanuensem habuisse: sed suo ipsum studio, labore, industria, tantam supellectilem comparasse. At libros hos, quos aduersarii ità calumniando tantopere mirari se confitentur, sua etiam manu totos, atque integros exarasse. Quæ eius autographa ab eo impetrata, meis ipse manibus in Collegij nostri Romani Bibliotheca collocaui. Porrò, quod deriuare in se vnum operis

operis huius inuidiam Bellarminum voluisse dicit Danæus; nominibus abutitur, gloriam verius dixisset. Gloriosa est enim, atquè optanda Christiano Theologo Hæreticorum inuidia. Neq; quicquam accidere optabilius potest ei, qui aduersus Hæreticos scribat; quam, vt, quia eius scriptis iugulari se sentiunt; scriptorem auersentur. Quanquam Bellarminus, quia gloriam, qua est animi submissione, & Christiana modestia præditus; vehementer refugiebat, nō prius adduci potuit, vt suas hasce lucubrationes in vulgus emitteret, quam moderatorum suorum imperio, atquè aliis rationibus compelleretur, quas ipse operis initio posuit.

Quæ secundo libro controuersiæ primæ mentitur Danæus aduersus Bellarminum.

CAPVT VIII.

SECVNDVM hunc primæ controuersiæ librum, quo de variis sacrorum librorum editionibus disputat Bellarminus, tam multis mendaciis refersit Danæus, vt quantum mentiendo posset, experiri voluisse videatur. Quare non id agam, vt singula numerem; sed vinci me materiæ magnitudine confessus, illustriora quædam mendacia recensebo, ex aliis indicabo non nulla, cætera prorsus omittam.

1. Ad caput ergò secundum, quo quærit Bellarminus, vtrum editio Hebraica sit corrupta, idque absolutè negat, licet nonnullos errores irrepsisse librariorum incuria, aut simili alio incommodo doceat. Obiicit Bellarmino Danæus, quod scribat in Ecclesia Romana errores, & additamenta manifesta; *qualia sunt illa,* inquit, *quæ Psalmo* 40. *addititia vocat, præsertim in Codice Anglicano, tolerari; quoniam ibi longo tempore fuerunt, & sicut errores typographorum esse patitur Ecclesia Romana. At verò,* inquit, *illud potius est obseruandum, nè vetus error in negotiis fidei ius faciat.* Quibus verbis indicat docere Bellarminum errores eiusmodi in sacris Bibliis tolerari, qui fidei puritati officiant; idque tantum, quia longo tempore in Bibliis ij errores fuerunt. At Bellarminus nominatim agit, de iis versiculis. Sepulchrum patens est guttur eorum, & cæt. quos constat in Hebræis codi-

codicibus non inueniri; & negat corruptos esse Hebræos Codices, sed eos versiculos ait in latinam editionem ex Apostolo, qui ex diuersis scripturæ locis eos desumpserat, in Psalmum 13. irrepsisse. Neque verò commoueri nos debere Hebræi cuiusdam Codicis Anglicani auctoritate, in quo leguntur ij versiculi Psalm. 13. Nam satis certis rationibus deprehendi, eum Codicem non esse fidelem. Hęc omnia postquam docuit. *Dices*, inquit, *si ità est, cur Ecclesia, in editione vulgata hos versiculos esse patitur? Nimirum ea de causa, quoniam sunt etiam ipsi sacræ scripturæ partes quædam, & quoniam sine turbatione, & scandalo populi non possent auferri, cum longo tempore ibi fuerint: quomodo etiam patitur nonnullos errores typographorum.* Hæc Bellarminus. Non ergò additamenta quæcumquè, aut quoslibet errores esse in Bibliis Ecclesia patitur; sed eos, qui si maneant nihil possunt officere, si tollantur perturbationi, & scandalo esse possunt: nequè verendum est homini Christiano, né sacræ scripturæ particulæ ab Apostolo ex diuersis locis decerptę, atquè coniunctæ vbi vbi legantur, puritati fidei possint officere. Iam quod ait de Codice Anglicano, ridiculum est, quasi verò id curæ esse debuerit Romanę Ecclesiæ, vt vnus, nescio quis manu scriptus Codex Hebraicus, qui in Anglia seruabatur, corrigeretur, si quid haberet mendi, aut Codex ille, vulgatę editionis latinæ, de qua loquitur in ea responsione Bellarminus, ac non potius Hebraicus esset.

2. Iam, ad caput 6. tot ferè mendacia, quot verba. Mendacium est, quod ait, à Bellarmino, ea, quæ tradit in cap. 6. vsquè ad quartam quęstionem, deindè assumi, vt fundamenta fidei, ac pietatis suę. Tres enim eę quęstiones, nihil habent cum dogmatis fidei commune, nam in prima quærit, quo tempore facta sit translatio septuaginta interpretum, in secunda quos libros veteris testamenti ij transtulerint, in tertia quomodò facta sit, mutua né interpretum collatione, an verò vnus ab alio separatim scripserit. Quæ quęstiones, quomodò faciant ad dogmata fidei demonstranda, aut cõfirmanda, vix fingi potest. Certè ostendere Danæus debuit, quo loco, quauè ratione, vt fundamentis suę fidei vsus sit Bellarminus, iis rebus, quas in iis quæstionib. docuit. Mentitr secundò, cũ scribit, ipso teste Bellarmino, septuaginta interpretes à Beato Hieronymo reprehendi. Ait enim Bellarminus, Hieronymũ nõ eorũ versionem, sed menda, quæ posteà irrepserant reprehendere, idque ex ipsomet

Hieronymo probat. Mentitur tertiò, cum ait ab ipsomet Bellarmino, eam versionem falsi, vitijquè damnari; cum à Bellarmino, vitiatus tantum textus, non eorum translatio vspiam vitii arguatur. Mentitur quarto, cum ait docere Bellarminum ipsam septuaginta seniorum interpretationem non extare amplius, sed interiisse: probat enim Bellarminus, eam non planè interiisse, licet admodum vitiata ad nos deuenerit. Addit denique impudentissimum, ac dignum Danæo mendacium. Negat vnquam sacra Biblia à septuaginta translata senioribus fuisse: aut ea, quæ citata ab Apostolis, in nouo testamento legimus, ab iis ex septuaginta interpretum versione citata. *Nam Apostoli*, inquit, *eos, quos ex veteri testamento proferebant locos, ipsi græcè Græcis scribentes conuerterunt; quos posteà nonnulli homines astuti in eam versionem, quam septuaginta appellarunt, inseruerunt, inuexerunt, & intruserunt, vt reliquas eiusdem versionis, & si falsæ, partes confirmarent, ad sui erroris defensionem.* Id porrò totum, qua ratione, qua historia, quibus auctoribus Danæus probat, cum res testatissima, ac celeberrima sit, & vetustissimorum scriptorum, non modo Christianorum, sed Hebræorum etiam testimonio comprobata? Qua ratione comperit ea testimonia veteris testamenti, quibus Apostoli vsi sunt, intrusa in eam versionem posteà, non ex ea potius sumpta fuisse? supercilio, nempè censorio, loco eam versionem mouere, atquè ex eo gradu deiicere vult, quem semper in Ecclesia Dei obtinuit. Ad caput item septimum, non modò mentitur, cum Bellarmini argumentum profert, quo vir doctissimus probat irrepsisse menda nonnulla, in grecam noui testamenti editionem, quem Danæi locum suprà protulimus: sed etiam cum ità de Bellarmino scribit. *Censet*, inquit, *in libris veteris testamenti Hebraicis, & in Græcis noui testamenti errores eos, & mendum esse, propter quod illi, fontes purissimi nobis esse nequeant, vt ab ijs liberè dissentire sit fas hominibus Christianis.* At Bellarminus, liberè dissentire à Græcis, Hebræisquè codicibus fas esse homini Christiano nunquam docuit; non esse eos, fontes planè purissimos; sed mendo aliquo interdum perturbatos docet, & probat iis rationibus, quibus Danæus non dare manus, nō potuit. Sic enim paulò post scribit. *Quæ addita, inminuta, & menda Bellarminus in Græcis codicibus reperit, ea sunt in accidenti, & eo leui, sacræ scripturæ.* Esse igitur, nonnulla in iis Codicibus, sed leuia, menda Danæus fatetur. At certè purius fon-

tes ij tunc fluebant, cùm ab Apostolis primùm sine his erroribus emanarunt; non ergo purissimi nunc planèque incorrupti sunt. Quare nihil aliud iure repræhendit hoc loco Danæus, nisi mendacium suum. Nam quod Bellarminus scripsit, repræhensione vacat, quod de suo Danæus addidit impium est.

3. Ad caput 9. Primò, Bellarmini argumentum malignè ac perperam refert. *Quædam*, inquit, *in vulgata Bibliorum versione, quæ cum Hieronymi versione consentiunt, continentur; ergo tota ea versio à Hieronymo correcta, & probata est.* At Bellarmini argumentum hoc est: Multa loca, quæ Beatus Hieronymus repræhendit, in antiqua versione, nos in nostra inuenimus ita correcta, vt ipse affirmat esse corrigenda, idque longa multorum locorum inductione planum facit; tum subdit. Constat autem à Hieronymo iussu Pontificis Damasi, nouum Testamentum fuisse correctum, eamque correctionem doctis eius temporis placuisse; neque verisimile est, eam versionem ita correctam, postea reiectam fuisse: Igitur quam nos habemus, ea censenda est quam correxit Hieronymus. Deinde mentitur, quòd ait, docere Bellarminum, multa esse, in vulgata editione perperam, & malè conuersa. Bellarminus docet quidem §. quatuor de causis, errore & negligentia librariorum, quædam in nostra versione esse aliter, quàm Beatus Hieronymus vertenda iudicauerit, sed istud, quod Danæus somniat, nusquam dicit. Decimi capitis argumenta, quibus Bellarminus, & eruditè & perspicuè probat autenticam esse, atque haberi debere vulgatam editionem Latinam, omnia perperam atq; infideliter refert Danæus. Primum, ait duci, ab auctoritate Concilij Tridentini. Esset magna ea auctoritas, si cũ Christianis ageretur, sed quia cum Hæreticis res est, non ita argumentatur Bellarminus; sed affert eam rationem, propter quam decretum illud condidit Synodus Tridentina; nimirum consensum Ecclesiæ, quæ ea versione vsa est supra mille annos, ex eaque probauit, & explicauit dogmata, ac fideles docuit Euangelium. Secundum argumentum hoc ait esse: Augustinus, Bernardus, Isidorus, Haymo, Riccardus, versionem hanc probarunt, ergo est proba, & vbique retinenda. At ille ita argumentatur: Si nostra hæc versio est Hieronymi, habet testimonium Augustini, Gregorij, Isidori, Rabani, qui ex communi omnium consensu docent, eam versionem esse fidelem. Habet præterea testimonium Græcorum, qui ex translatione Hieronymi, in linguam suam quædam volumina conuer-

terunt. Si est illa vetus, quam Italam sanctus Augustinus vocat, habet eius testimonium, qui eam omnibus præferendam ait, quod vtique vir tantus non diceret temerè, atque inconsideratè. Denique vtralibet sit, habet ingens testimonium Anselmi, Bernardi, Haymonis, Hugonis, Ricardi, & cæterorum, qui sacras literas, aut interpretati sunt, aut populum docuerunt, qui ea versione vsi sunt, & iuxta eam Scripturas interpretati, quod non fecissent, nisi magnæ existimationis, ea versio, apud omnes homines, quasi maximè fidelis fuisset. Tertiam rationem Bellarmini hanc facit, Græci, & Hebræi, habuerunt lingua sua, authenticam scripturarum editionem, at lingua Latina non est ignobilior: Ergo lingua quoque Latina authentica Scripturarum editio esse debuit. Eam rationem ita à Danæo intelligi patet ex eius confutatione. *Nec enim,* inquit, *Hebræi, & Græci eam Scripturam habuerunt propter dignitatem linguæ.* At Bellarminus argumentatur ex dignitate Ecclesiæ Latinæ, quam par fuit apud se habere certa, ac minimè dubia Scripturarum oracula, à qua Scripturarum interpretationem reliquæ Ecclesiæ petere, vtpote à Petri sede, debuerũt. Quartam rationem hanc esse ait, Pauci post Apostolos sciuerunt Hebraicè & Græcè, etiam in ipsis Conciliis generalibus: ergo oportuit editionem vulgatam Latinam esse authenticam. At Bellarminus, primò quidem, nunquam dixit paucos, post Apostolos, aut nullos esse, qui Hebraicè aut Græcè norint; sed solùm in Conciliis generalibus Ecclesiæ paucos esse, qui eas linguas teneant. Deinde verò argumentum ducit à prouidentia Diuina, ad quam spectauit facere, vt Concilia generalia, quæ ad interpretationem Scripturarum, & declarationem articulorum fidei, maximè conueniunt; haberent authenticam Scripturarum versionem, ex qua dubia fidei declararent. Danæus verò totum hoc de diuina prouidentia, quod est in hoc argumento præcipuum, planè subticuit. Quintam verò rationem, quamuis pollicitus sit ad singulas se responsurum, silentio penitus inuoluit, quia non habebat, qua ratione eam ita corrumperet, vt negotium non facesseret. Ea autem ducitur ex eo, quòd ea diuersas versiones cudendi licentia Hæreticos eò adduxit, vt nihil ferè certi ex eorum editionibus haberi possit, coëgeritque Lutherum Conciliorum euersorem fateri, si diutius mundus steterit, fore, vt necessarium sit ad auctoritatem Conciliorum recurrere, propter diuersas Scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conseruandam vnitatem fidei. Illud

verò,

verò, quàm impudens, quamque insigne mendacium, quo responsionem suam ad tertium Bellarmini argumentum, his verbis claudit? *Ex quo apparet, hunc insigniter impudentem esse, mentirique, cùm colum. 107. lit. C. diuinos libros ab Auctoribus suis initio Latina etiam lingua fuisse scriptos, vti & Hebræa, & Græca affirmat.* At Bellarminus nunquam hoc, nisi de Marci Euangelio docuit, quem dixit, & quidem ex aliorum sententia Latinè primùm, deinde Græcè Euangelium suum scripsisse. Nam capite octauo, quo de Latinis editionibus agit, nihil eiusmodi docet; capite 9. vulgatam editionem Latinam, magna ex parte Hieronymo tribuit, capite 7. cùm agit de Græca editione Testamenti noui, ait constare, Testamentum nouum fuisse à suis auctoribus Græcè conscriptum, si Euangelium Matthæi excipias, quod Hebraicè scriptum est, Euangelium Marci, quosdam dicere, Latinè primùm ab eo Romæ, mox Aquileiæ, Græcè conscriptum. De epistola ad Hebræos, non constare Græcè, ne, an Hebraicè scripta sit, constare tamen, aut Græcè ab eo scriptam, aut à viro aliquo Apostolico in Græcum conuersam. Libros veteris Testamenti Hebraico primùm sermone cōscriptos, ita pro comperto habet cap. 1. vt ea de re ne disputet quidem. Neq; verò vsquam alibi docet, eos libros ab aliquo scriptore canonico, nedum à suis auctoribus latinitate donatos; sed homini improbo, atq; omnem calumniandi occasionem auidissimè captanti, oportuna calumniæ ea visa sunt, quæ cap. 15. §. at catholica, scribit Bellarminus: *Libros diuinos ab auctoribus suis initio Hebræa, Græca, & Latina lingua scriptos fuisse.* Quibus verbis, cùm significare Bellarminus voluerit, non quidem singulos libros omnibus his linguis, sed aliquos Hebræa, aliquos Græca, nonnullos Latina lingua conscriptos esse ab auctoribus suis, atque ita eas omnes linguas, canonica scriptione Spiritum sanctum dignatum fuisse. Danæus, pro animi sui candore, vt virum optimum in suspicionem fraudis vocaret, in deteriorem partem interpretari maluit. sed, vt est parum sibi constans mendacitas, ea ipsa Bellarmini verba, cùm ad eum locū scribit, Danæus ipse ita intelligit, vt nos dixim⁹ intelligi oportere; ac modum loquēdi Bellarminiano huic planè geminū vsurpat. Illud modò reprehendit, quòd vllum canonicum librum Latina lingua conscriptum Bellarminus esse dixerit. *Hebræa,* inquit, *vel Græca, scriptos fuisse, (nā vetus Hebraicè, nouū Græcè editū est) verum est, Latina verò lingua falsum, quemadmodum ipse postea se ipsum mendacij*

arguens,

arguens, agnoscit, & fatetur. Intellexit ergo Danæus, vt vides, idem significari verbis illis Bellarmini, sacri libri Hebræa, Græca, & Latina editi sunt, quod suis ipse significari voluit, cùm dixit, verum esse scriptos fuisse Hebræa, vel Græca, hoc est, nonnullos Græca, nonnullos Hebræa. Porrò persimilem esse eam loquendi rationem, quam Danæus adhibet, eius, quam Bellarminus vsurpauit, ex eo facilè apparet: quòd quemadmodum si de omnibus libris collectim, ac simul sumptis dicas, eos Græcè, & Hebraicè scriptos fuisse, falsum est; quia idem planè significat, ac si diceres, nullum esse ex iis libris, qui non omnibus his linguis editus sit; ita si de omnibus collectim sumptis dicas, eos Græcè, vel Hebraicè editos esse, falsum est, quia ea est eius orationis vis, vel Græca omnes, vel omnes Hebraica primùm lingua editos esse. Quod si distributim accipias, quemadmodum verum est, sacros libros esse Græca vel Hebræa lingua editos, quia iis verbis hoc tantùm significatur, hos Græcè, illos Hebraicè editos. Ita etiam verum est Græcè, & Latinè conscriptos fuisse, quia nihil aliud ea verba significant, nisi vtramque linguam habere scriptorem aliquem canonicum. Denique quemadmodum idem significat, si dicas homines esse albos & nigros, ac si dicas vel albos esse, vel nigros, hoc est vtriusque coloris homines reperiri, licet non iidem albi & nigri sint: ita eadem est Danaicæ huius, & Bellarminianæ illius propositionis vis. Illud porrò putidum est, quod de Marci Euangelio obiicit. Nam Bellarminus eam rem non ita dixit, quasi nihil haberet dubitationis, sed quia iam supra monuerat, non deesse, qui affirmarent, Marci Euangelium ab eo Romæ primùm Latinè conscriptum, neminem existimauit futurum tam tardum, qui non intelligeret, id ab se, vt probabile doctorum hominum testimoniis dici, non tanquam certum, atque exploratum affirmari. Cæterùm ea de re suo loco mox viderimus.

4. Capitibus 11. 12. 13. 14. Bellarminus ab Hæreticorum calumniis vindicat, tum noui, tum veteris Testamenti vulgatam editionem, ostenditque, aut aduersarios non benè vertere, aut eorum versiones, in idem cum nostra versione cadere. Contrà quæ capita, mendaciis Danæus neque paucioribus pugnat, neque minoribus. Ait primò, docere Bellarminum, vulgatam editionem, & Hebraicis, & Græcis codicibus veriorem, certiorem, & puriorem esse, postquam à Tridentina Synodo comprobata fuit. At Bellarminus, cap. 11 §. respondeo, negari non posse, docet, fontes ipsos, vt iam antè probauit,

probauit, multis in locis turbidos fluere, hoc est, fuisse corruptos, additque hæc verba. *Certè vix dubitari potest, quin sicut Latina Ecclesia constantior fuit in fide retinenda, quàm Græca, ita etiam vigilantior fuerit in suis Codicibus à corruptione defendendis.* Neque quicquam præterea, quod ad rem hanc pertineat, his capitibus docet. Iis igitur verbis dupliciter mentitur Danæus: primò, quia dicit, docere Bellarminum, vulgatam editionem veriorem, certioremque esse, quàm Græcos & Hebræos codices: cùm solùm dicat Vigilantius in Ecclesia Latina quàm in Græca custoditos fuisse, ne vitiarentur. Deinde, quia eam veritatem, ait, à Bellarmino tribui vulgatæ editioni, post Concilium Tridentinum, cuius eo loco ne meminit quidem. Secundò in suo illo mendacio strenuè persistit, ita enim agit contra Bellarminum, vt qui legit, existimet eam veritatem, ac puritatem versionis tribui à Bellarmino, vulgatæ editioni, post edictum Concilij Tridentini, quasi edictum Concilij causa fuerit, cur versio vulgata vera, atque incorrupta sit. *Nec enim*, inquit, *idcirco illa pura est, & incorrupta, quia Tridentina Synodus sic censuit, &c.* Qui locus duplex mendacium continet; alterum, id, quod supra iam monuimus: neque enim hoc loco vlla ratione meminit Bellarminus Concilij Tridentini. Alterum, quod ita contra decretum hoc disputat, ac si Catholici diceremus, causam, cur ea versio vera sit, esse decretum Synodi Tridentinæ, cùm dicamus, Concilium non tribuisse versioni veritatem, sed declarasse eam versionem veram esse: Vt cùm iudex declarat hunc esse Dominum huius prædij, non constituit eum Dominum, sed id, quod iam erat pronunciat. Mentitur tertiò, dum ait, appellari à Bellarmino Hebraicos & Græcos, Prophetarum & Apostolorum codices, turbidos & turbatos fontes. At Bellarminus ita scribit: *Respondeo negari non posse, quin sint fontes Scripturarum anteponendi riuulis versionum, quando constat fontes non esse turbatos: nunc autem fontes multis in locis turbidos fluere, iam ante ostendimus.* Ostendit autem suprà, vel negligentia, aut incuria librariorum, vel Hæreticorum, aut Hebræorum vitio, menda aliqua, in Græcos ipsos, & Hebraicos fontes irrepsisse. At hoc non est Apostolorum & Prophetarum codices, sed Hæreticorum audaciam, & librariorum negligentiam damnare. Mentitur quarto, cùm ait, Bellarminum docere, & necessariò, & tutò ad Græcos, & Hebraicos fontes recurrendum esse, atque ita pugnare secum ipsum

psum. Nam primò de suo addidit verba illa, & necessariò, & tutò, quæ Bellarminus nusquam habet. Deinde non ita absolutè docet Bellarminus, recurrendum esse, vt prouocare liceat à Latina, ad Græcam, aut Hebraicam editionem. Quod si diceret, secum ipse pugnaret; qua enim ratione authentica est Latina, si licet ab ea, ad aliam semper, ac pro arbitrio prouocare? Sed ita scribit capite 11. *Ad aliud, de emendatione Latinorum codicum, ad Hebræos, & Græcos, respondeo, quatuor temporibus licere nobis recurrere ad fontes Hebræos, & Græcos, vt illi Patres monent; primò quando in nostris Codicibus, videtur esse error librariorum,* (& subiicit exempla quædam.) *Secundò, quando Latini codices variant, vt non possit certò statui, quæ sit vera vulgata lectio, possumus ad fontes recurrere, & inde iuuari, ad veram lectionem inueniendam. Tertiò, quando verba, aut sententia in Latino est anceps, possumus recurrere ad fontes, si fortè non sit ambiguitas. Quartò & vltimò, licet recurrere ad fontes, ad energiam, & proprietatem verborum intelligendam. Sic illud Exodi. Ædificauit illis domos, intelligimus ex Hebraica phrasi significare fœcunditatem, & filiorum copiam.* At præter hæc tempora, familiare Hæreticis est, vt cùm vulgatæ editionis apertis atque clarissimis testimoniis conuincuntur, ad Græcæ aut Hebraicæ vocis ambiguam significationem recurrant; ex eaque aut respondere aut probare hæresim suam nitantur. Sic illud ad Hebræos 5.v.7.& exauditus est pro sua reuerentia. Caluini hæresim admittere non poterat, at voces Græcas ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, quia trahi faciliùs ad suam hæresim posse existimauit, prouocauit à Latinis ad Græcos codices, id nos fieri posse negamus, cùm de confirmandis dogmatis, atque articulis fidei agitur; vbi enim anceps, est Græca vel Hebraica lectio, & Latina versio ambiguitatem non admittit, eam germanam esse loci eius sententiam confirmamus, quam tot iam sæculis, assensu suo, tota Ecclesia cõfirmauit. Mentitur quintò, cùm ait, id esse propositum Bellarmino, vt ostendat, totius certitudinis sacræ scripturæ, & auctoritatis vim, ex sola Romanæ Ecclesiæ definitione pendere. Nam neq; quisquam alius Catholicorum, neque Bellarminus hoc vnquam somniauit. Scripturarum sacrarum auctoritatem ac certitudinem ex eo pendere dicimus, quod Deo inspirante ac dictante conscriptæ sunt; qui, cùm sit prima, & summa veritas, nec falli, nec mentiri potest. Cæterùm iudicare de vero sensu atque intelligentia Scripturarum, ad Ecclesiam pertinere, Scripturis iisdem auctoribus, atque

atque Apostolica traditione didicimus. Quia eodem Spiritu explicari debent, quo conditæ sunt; eum autem Spiritum Deus promisit Ecclesiæ suæ, non homini cuiquam priuato. Mentitur sextò, cùm præuaricari Bellarminum, atque ad Caluini & Hæreticorum castra transire gloriatur, cùm dicat cap. 14. eum obiectiones omnes Hæreticorum, de mala versione vulgata noui Testamenti, sic excipere, vt veras esse fateatur. *Modo*, inquit, *in verbis perperam sua editione retentis, ex nostra mente explicandis laborat, & palmam, victoriamque nobis concedit.* Mentitur, inquam, cùm hæc dicit Danæus, quia ostendit Bellarminus, nostram versionem re vera idem habere, quod Hæretici volunt, licèt non iisdem verbis explicet, quibus Hæretici malunt vertere, vt aliquid dicere videantur. Hoc autem non est ad eorum castra transire, nisi depopulandi gratia; certè enim stultè versionem nostram reprehendunt, si eandem sententiam continet, licèt verbis non planè iisdem explicet, rem enim attendi oportere, in rebus tam seriis, non verba nemo negauerit. Mentitur septimò, cùm ait, docere Bellarminum col. 103. lit. D. dogmata Ecclesiæ alligari ad verbum scriptum, non toleranda alia, eique eo nomine à Papistis minatur. Non ita insanit Bellarminus, vt ista dicat. Hæreticorum sunt istæ ineptiæ, qui, vt debacchari sibi in gregem Christi liberè liceat, traditiones Apostolicas abiiciunt, ac iudicium Ecclesiæ refugiunt. Fatemur quidem omnes, verbum scriptum Dei infallibilem veritatem, ac minimè dubiam continere: sed præter verbum scriptum, traditum etiam oretenus & conseruatum in Ecclesia Pastorum & fidelium successione recipimus, eosque execramur, qui traditiones Apostolicas reiiciunt. Ista porrò colum. 103. vbi sit, ipse viderit, qui ita mendacia sua tegere voluit. Lugdunensis quidem certè anni 1590. editio, quam vnam nunc vsque reperi, in qua columnarũ numerus sit adnotatus col. 103. lit. D. nihil habet, quod huc referri possit. Mentitur octauò, cùm ait, velle Bellarminum ex verbo Dei, peius esse malè agenti consentire, quàm malè agere. Bellarminus enim planè cõtrarium docet, cùm respondet obiectioni 4. quæ ex cap. 1. ad Romanos ducitur. *Respondeo*, inquit, *nostram lectionem omnino esse meliorem; nam secundùm Græcam sensus est, peius esse consentire malè agenti, quàm malè agere: secundùm Latinam sensus est contrarius, peius esse malè agere, quàm cõsentire malè agentibus; at certè absolutè peius est malè agere, quàm consentire malè agenti.* Mentitur nono, cùm ait, Bellarminum intelligentiam & praxim eandem facere, vt elabatur.

Nam distinguit intellectum practicum à speculatiuo: item, vt omnes boni Philosophi, cùm agit de quarto loco, quem male in vulgata editione legi contendit Kemnitius, in responsione ad tertium eius argumentum. Cæterùm praxim, cum intelligentia non confundit. *Quod dicitur*, inquit, *in Latino, cùm cognouissent iustitiam Dei, non pugnat cum eo, quod sequitur, non intellexerunt: nam cùm dicit, Cùm cognouissent, loquitur de theorica cognitione. Cùm dicit, Non intellexerunt, loquitur de practica. Itaque sensus est, cùm cognouissent veritatem, tamen propter affectus prauos excæcati, non potuerunt seriò sibi persuadere, sic esse agendum.* Mentitur 10. cùm ait, tolli à Bellarmino meritum operum, cumque id ex eo colligit, quod docere ait Bellarminum, mereri coram Deo esse duntaxat rem Deo gratam agere. Solùm enim ait Bellarminus, id quod legitur Hebræo. 13. talibus hostiis promeretur Deus: non ita à nobis intelligi, quasi dicat Apostolus, iis hostiis nobis meritum comparari, sed ab interprete nostro positum esse pro delectari, vt sensus sit, talibus hostiis delectatur Deus, vel res grata fit Deo. *Latinè*, inquit, *bene dici rectè mereri de aliquo, eum qui facit rem illi gratam, nemo est, qui nesciat. Sic ergo dixit noster interpres; his hostiis promeretur Deus, id est, his hostiis res grata fit Deo, & bene meretur de Deo, qui illas offert, accepit enim interpres mereri in paßiua significatione.*

5. Ad caput 15. quò de vulgaribus editionibus disputat Bellarminus, pari mendacitate, atque impudentia Danæus omnia miscet. Mentitur primò interdicere Bellarminum lectione sacræ Scripturæ, atque ab ea pios arcere, eique fidem prius abrogasse. Nam neque quicquam dixit, quo fides sacrorum librorum labefactari posse sano homini videretur; neque verò negat legi à fidelibus, & piis viris debere Scripturas. *Catholica*, inquit, *Christi Ecclesia, non quidem prohibet omnino vulgares translationes, vt Kemnitius impudenter mentitur, (nam in indice librorum prohibitorum à Pio IV. edito Reg. 4. videmus concedi lectionem eiusmodi librorum, iis, qui vtiliter, & cum fructu vti ea possunt, id est, iis, qui facultatem ab ordinario obtinuerint.) Prohibetur tamen, ne paßim omnibus, sine discrimine concedatur eiusmodi lectio, & ne in publico & communi vsu Ecclesiæ scripturæ legantur, vel canantur vulgaribus linguis, vt in Concilio Tridentino Seß. 22. cap. 8. & can. 9. statuitur.* Quare, cùm sacrorum librorum vsum, ac lectionem omnibus iis, qui Latinè, Græcè, aut Hebraicè norunt, sine discrimine cõcedamus. Præterea verò iis, quorum mores probati, & intelligentia non planè rudis, pollicetur fore, vt quamuis idiotæ sint, tamen vtilitatem

tatem ex ea lectione percipiant, vulgari etiam idiomate legere permittat Ecclesia. cumquè ea doceat disertis verbis Bellarminus, neminem profectò Danæus pium existimat, nisi illiteratum, rudem, ac deprauatis moribus, vel certè infirmum in fide, nam iis solis legendi vulgari idiomate sacras literas facultas denegari solet ex regula Pii quarti. Mentitur secundo, dum ait contendere Bellarminum sacram scripturam peregrina, & exotica lingua lectam, apud Hebræos olim fuisse; & Apostolorum tempore, in publico fidelium cœtu. Nam negat, post Esdræ tempora, fuisse vulgarem Hebraicam linguam, qua tamen in publico cœtu scripturæ legebantur. At peregrinam eam, & exoticam, quis dixerit filiis Israël fuisse? Similiter græcè scripsisse Apostolum ad Romanos, græcè Ioannis, ac Lucæ Euangelium, græcè Apocalypsim, & reliquos Apostolicos libros scriptos fuisse; quos tamen, apud omnium gentium Ecclesias legi solitos, né aduersarii quidem negant. At græca lingua, literalis illa quidem, neq; vulgaris erat, non tamen peregrina, & exotica. Mentitur tertio cum ait, à mendacio ordiri Bellarminum sententiæ suæ confirmationem: quod dicat tribus his linguis Hebraica, Græca, & Latina, scripturam scriptam esse. Quia, & si verum est, Græca, vel Hebraica lingua scriptam esse, non tamen Latina. Mendacium hoc Danæi duplex est, nam cum suprà iam dixerit Bellarminus, non ignobiles scriptores, existimasse à Marco Euangelium Romæ latina lingua scriptura fuisse, non mentitur, si id asserit, quod à grauibus auctoribus didicit, qua de re, suprà non nihil iam diximus. Deindè, quod ait ab hoc argumento sententiæ suæ confirmationem Bellarminum petere, mendacium est: solum enim affert rationes quasdã aptas, & congruas, cur his potissimum linguis, legi in cœtu fidelium sacras literas, ac Deo laudes decantari statuerit Ecclesia. Nimirum quod hæ tres linguę, antiquitate, amplitudine, & grauitate cæteris præstent; quod eas crucis suæ titulo Dominus cohonestauit; quod eas potissimum elegit; quibus sacræ litteræ scriberentur. At verò vulgari idiomate, sacros libros in cœtu fidelium legi, & Deo laudes cantari non oportere, quæ est Catholicæ Ecclesiæ sententia: probare aggreditur, §. principio igitur. Mentitur quarto cum ait Bellarminum, qui dixerat latina etiam lingua sacros libros scriptos fuisse, rem non ità se habere, se ipsum postea mendacii arguentem, agnoscere, ac fateri. At Bellarminus. §. probatur secundo, de Apostolis ità loquitur. Non scripserunt Euangelia, inquit, aut Epistolas linguis

guis earum gentium, quibus prædicabant, sed tantum Hebraicè, aut Græcè, & vt quidam volunt latinè; sunt enim qui existiment Euangelium Marci, vt etiam suprà monuimus, latinè scriptum Romæ ab ipso Marco; & posteà ab eodem in græcam linguam translatum, de quo vide Damasum in vita B. Petri, & cæt. Ità Bellarminus nō se, sed Danæum arguit impudentissimi mendacii, qui, quod verbo suprà affirmarat, testibus etiam confirmat. Mentitur quinto cum argumenta Bellarmini refert, vnum enim eius argumentum, in tria dissecat, neque fideliter refert, vt diximus, cum de eius fraudibus ageremus cap. 2. Mentitur sexto cum profert secundum Bellarmini argumentum, quod ipse quartum numerat. *Quartum argumentum*, inquit, *l. c. Apostoli tantum græcè scripserunt, tota sacra scriptura Hebraicè dumtaxat, & græcè edita est: atqui illi per vniuersum terrarum orbem, & populis omnibus, qui vel Hebraicè, vel Græcè nesciebant, prædicarunt: ergo ignota illis populis lingua, sacram scripturam annunciarunt, tractarunt, concionati sunt.* Locum hunc integrum, de industria retuli, quia multa mendacia continet. Primò enim detruncat Bellarmini verba; qui dixit, Apostolos Hebraicè, vel Græcè, & vt quidam volunt latinè scripsisse; quod ideò facit, vt ea contradictio, quam suprà commentus fuerat, & appinxerat Bellarmino aliqua ratione appareret. Deindè argumentum ipsum inuertit, & perdit: non enim hic quærimus, qua lingua Apostoli concionati sint, aut annunciarint Euangelium, cum ad populum verba facerent. Scimus eos, vernacula, & vsitata populis lingua concionatos; sed illud quærimus, scripserint né alia lingua Euangelium, & Epistolas suas: nam si alia lingua nō scripserunt, his profectò linguis legebantur in Gallia, Hispania, Ægypto, & aliis regionibus, apud quas iam Ecclesias prædicatione sua Apostoli fundauerant. Neque enim versiones in alias linguas Apostolorum tempore factas fuisse nouimus: neque verò sacrarum literarum vsu caruisse eas Ecclesias eo tempore, verisimile est. Deniquè si sua lingua vti singulas Ecclesias sacris literis voluerunt; cur non, aut eorum linguis scripserunt, aut iam scriptos Diuinos libros ipsi transtulerunt, vt autenticam scripturæ versionem haberent, neque dubitare possent de interpretis fide? Tertio cum Bellarminus ità scripserit. Non scripserunt Euangelia, aut Epistolas linguis earū gentiū, quib. prædicabant, sed tantū Hebraicè, aut Græcè, & vt quidā volunt latinè; cur Danæus ità reddidit; *Apostoli tantū græcè scripserunt, tota sacra scriptura Hebraicè dumtaxat, &*

Græ-

Græcè edita est? quorsũ illa veteris testamẽti mentio à Danæo addita; (nam illud quoq; cõprehendi nomine totius sacræ scripturæ nemo dubitat) cum de nouo tantum Bellarminus loquatur, quod Græcè, aut Hebraicè scriptum dixit: quia Euangelium Matthæi constat Hebraicè primum fuisse editum; de Epistola ad Hebræos, anceps sententia est, Græcè né, an Hebraicè edita primum ab Apostolo fuerit. Hæc igitur, quę rectè, ac verè dicta à Bellarmino fuerunt, cur ità peruertit Danęus? Nimirum, vt rerum inutilium, atquè alienarum admixtione vis demonstrationis obtunderetur; ac vir doctissimus ad rem non loqui videretur. Ita propria est ea Danaicorum scriptorum gloria, vt sal etiam ipsum, cum attigerint infatuent. Deniquè si ea verba, quæ initio capitis 15. scripsit Bellarminus, cum de tribus linguis ageret; quibus, inquit, ipsi libri diuini ab auctoribus suis, initio scripti fuerunt. Ea inquam verba, si ità intelligenda fuerunt, vt Danæus interpretatus est, cum ad caput decimum scriberet, velle Bellarminum diuinos libros ab auctoribus suis initio, latina etiam lingua fuisse conscriptos, vti, & Hebræa, & Græca; id quod in censura libri 2. repetiit, cum eam Bellarmini sententiam, iisdem planè, quibus ad caput decimum verbis retulisset. *Fit*, inquit, *hac ratione incertum totius sacræ scripturæ fundamentum, incerta fidei Christianæ regula, si ex quibus libris, ac fontibus haurienda, atque stabilienda sit ignoramus. Aut si hi libri, qui sunt fidei Christianæ regula, & Lydius lapis, nempe latini libri à Prophetis, vel Apostolis scripti, non extare dicantur.* Vbi vides, Apostolicas, atque Propheticas scripturas, in iis à Danæo numerari, quas Bellarminus docet latinè conscriptas. Cum igitur ità eum Bellarmini locum Danæus interpretetur, cur, cum hoc loco Bellarminus scripserit Euangelia, & Epistolas, aut Hebræa, aut Græca lingua fuisse conscriptas, dicere ipse maluit, sacram scripturam Hebraicè dumtaxat, & Græcè editam esse? Nam si idem, vtraquè loquendi ratio significat, calumniator est, qui Bellarmini verba aliter, interpretatus sit: sin autem alia est vtriusquè loquutionis significatio, mendax est, qui quod Bellarminus benè dixit, ipse perperam refert. Erant plura multo, quæ tum ex reliquo hoc, tum ex sequenti capite, tum ex censura libri secundi proferrem; sed satis opinor multa enumeraui, nequè necesse est in re tam manifesta, atquè perspicua probanda, tam anxiè diligentem esse.

Ex

Ex 3. & 4. lib. Danæi aduersus Bellarminum mendacia.

CAPVT IX.

HVNC nobis laborem capita superiora, magna ex parte minuerunt, tam multis enim enumeratis Danæi mendaciis; quã multa aut ab vno Hæretico omnibus disputationibus; aut ab omnibus vna aliqua, vel altera dici potuisse vix credibile videtur; verendum non erit, né si solito etiam negligentiores simus, in posteriorum librorum mendaciis recensendis, facultatem potius nobis defuisse quisquam existimet, quam voluntatem.

1. Mentitur ergò primo in ipso libri tertii vestibulo, cum ait, se quoque, ac suos, & omnes in vniuersum concedere, sacræ scripturæ interpretationem, atque intelligentiam difficilem esse, si quiuis eam explicare conetur. Mentitur inquam, cum id Hæreticos quoque concedere, ac fateri docet. Si enim difficilis est intelligentia, atquè interpretatio scripturarum, qua ratione docent vnumquemque satis posse ex scripturis haurire mysteriorum fidei definitiones, & debere omnibus passim, etiam idiotis, & rudibus, sacros libros tradi, vt ex scripturis doceantur, quid credere, quid non credere debeant? Dicent fortè, mysteria fidei explicatè, ac facilè, in scripturis tradi, sed esse reliqua difficilia. At, id ridiculum est, si enim quicquid scriptura continet verbum Dei est, quicquid scriptura docet credi necesse est. Si ergò quædam sunt in scripturis difficilia, neque satis explicata, erunt nonnulla ad fidem pertinentia difficilia in scripturis, in quæ, cum rusticus, & idiota inciderit, bonum Dei verbum, quasi medicamentum alieno tempore sumptum, sibi vertat in perniciem. At quæ vno loco difficilius traduntur, alio traduntur facilius, hoc est enim Hæreticorum effugium. Quæro ab his, sitné itá facilè, geminos hoscé scripturarum locos inuenire, atquè conferre, & cognoscere vter ex iis propriè, vter metaphoricè sit intelligendus; vt cuiuis, etiam idiotæ id obuium sit, an verò secus? si facilè dixerit Danæus, facilis ergò est intelligentia, & interpretatio scripturarum, sin, id ipsum difficile dixerit, profectò, & secum, & cum Magistris suis pugnat, qui, ad sacrorum librorum lectionem cerdones etiam, & cementarios vocant, quod sacra scriptura, facilis sit cuili-

cuilibet ad intelligendum. Mentitur secundo, cum ait hunc esse in tertii libri primo capite Bellarmini scopum, vt doceat, non solum intelligentiam scripturarum, si quiuis eas explicare conetur esse difficilem; sed ità obscuram, implicatam, obstrusam esse scripturę mẽtem, & latere, vt frustrà ex ea quid definire in negotio fidei, absquè Patrum commentariis à Romana Ecclesia probatis, laboremus. Qui locus, non vnum, ac simplex mendacium, sed mendaciorum aceruum continet. Primò, quia quæstio proposita à Bellarmino ea tantum est, sint né scripturę per se facillimę, atque apertissimę, an verò interpretatione indigeant. Neque vspiam Bellarminus docet, aut probat aliud, nisi non esse scripturas tam apertas, vt interpretatione non egeant. Secundo, quia non negat, aut Bellarminus, aut alius Catholicorum multa in scripturis tam apertè, tamque facilè dici, vt ea quiuis intelligere possit, etiam sine interprete. Vt, quod Deus creauit mundum, quod Deus sit vnus, quod sit Dominus omnium, quod Christus sit filius Dei, passus, & mortuus pro nobis; sed quod docemus illud est, esse multa in scripturis, aut difficilia intellectu, aut, quę ancipitem habere interpretationem possint; ad quorum intelligentiam interprete opus sit. At Danęus, nihil planè ait, ex Bellarmini sententia, posse in negotio fidei ex scripturis sine interprete definiri. Tertio, quia de his ipsis obscuris, atquè abstrusis sacrę scripturæ locis ità sentimus posse aliquem aliquando diuini Spiritus ductu, & bonitate ingenii verum scripturę sensum, & sententiam assequi, etiam non adhibitis aliis interpretibus; sed negamus ità certò scire quemquam posse, se scripturę mentem, ac sententiam assequutum esse, vt falli non possit, nisi, aut reuelationẽ habeat, aut aliquam aliam regulam, ad quam exigat interpretationes suas: ea autem est Ecclesię Spiritus, qui falli non potest, aut fallere. Non ergò docet Bellarminus nos frustrà laborare, cum scripturarum intelligentiam quærimus, sed negat, fide Diuina, cui falsum subesse non possit, nos certos omninò esse posse: veram nos intelligentiam assequutos, cum labore, atquè industria nostra scripturarum arcana rimamur. Quartò, quia quod ait de Patrum interpretationibus à Romana Ecclesia approbatis, nusquam in hoc capite docet Bellarminus; quanquam enim verum est eum, qui à communi Patrum sententia discesserit, in scripturarum, ac fidei explicatione, sinè dubio destitui spiritu veritatis, hoc tamen loco, de hac re, non disputat Bellarminus, sed quęrit, vtrum sacræ scripturæ

interprete indigeant, quicumquè demum ille, & qualiscumquè sit. Hæc eadem mendacia paucis post verbis repetit Danæus, sed nos properamus.

2. Iam ad caput secundum, etsi alia non desunt, quæ iure notes illud insigne est non longè à fine. *Ad secundum*, inquit, *nostrorum argumentum, respondet præceptum Domini, quod est in Decalogo, non esse lucidum, & facile ad intelligendum: sed esse lucidum, postquam intellectum fuerit.* At Bellarminus contrarium planè, atque apertè docet: nam postquam proposuit argumentum aduersariorum, ex Psalmo 18. Pręceptum Domini lucidum illuminans oculos, ex quo probare nituntur sacram scripturam esse facilem intellectu. *Respondeo*, inquit, *primò non agi hoc loco de vniuersis scripturis, sed tantum, de præceptis dominicis, quæ dicuntur lucida, lucerna, & lux, non quod facilè intelligantur, quanquam, & hoc est verum; quid enim facilius, quam diliges proximum tuum? sed quod intellecta, & cognita, dirigant hominem in operando.* Vbi vides Bellarminum, cum de præceptis Decalogi eum scripturæ locum intelligit, dicere esse quidem facilia intellectu pręcepta, non tamen eam esse causam, cur lucida dicantur; sed quia cum intellecta fuerint facem ad benè operandum præferunt voluntati, dictando quid agendum, quiduè fugiendum sit. Subdit deindè Bellarminus. *Secundò dici potest agi quidem de scripturis omnibus, sed scripturas dici lucidas, imò lucem, & lucernam, non quod facilè intelligantur, sed quod intellectæ cum fuerint mentem illustrant.* Hîc certè de omnibus scripturis, non de Decalogo loquitur Bellarminus. Sed, cum reliquis in rebus parum sibi constet, in mentiendo tamen constantissimus est Danæus, nam, hac ipsa de re loquens. *Sibi contradicit*, inquit, *cum eadem colum. septem suprà lineis scripserit Decalogum legis esse facilem ad intelligendum, quia illius doctrina est naturalis*; quo loco mendacium, de quo paulò antè diximus strenuè confirmat.

3. Sed cætera, quæ in reliquo libro sparsim mentitur omittamus; ad censuram libri tertii veniamus. Mentitur primò initio censuræ, cum docet velle Bellarminum ex ore Romani Pontificis potius, quam ex ipsius Dei oraculis Propheticis, & Apostolicis doctrinæ ipsius Dei, & fidei nostræ veritatem pendere. Imò verò expressè docuit in diuinis Prophetarum, & Apostolorum oraculis summam esse certitudinem, atquè infallibilem veritatem. quanquam,

quia

quia interdum obscuriora sunt, necessè fuisse demonstrat, vt certum aliquem, minimeque fallentem, veri scripturarum sensus interpretem, quasi fidei nostrę pędagogum Deus in Ecclesia constitueret: ne si suo quisquè iudicio in negotio fidei niteretur, quam fallax est humani ingenii solertia in inuenienda veritate, tam fides nostra esset incerta. Mentitur secundo dum ait, docuisse Bellarminum libro primo incertum planè esse, qui nam sint sacræ scripturæ veri, & genuini libri. Cum Bellarminus, totum eum librum insumpserit, in probandis veris, & genuinis sacræ scripturæ libris, tum contrà alios Hæreticos, tum verò etiam contrà Caluinianos, qui suo, nescio quo nuper exorto spiritu, scripturarum spiritum metiuntur. Tertiò mendacio planè non vacat, cum ait docuisse Bellarminum libro 2. sacram scripturam in suis purissimis fontibus, nimirum in Hebræis, Græcisque codicibus; quæ sunt prima, & originalia sacræ scripturæ fundamenta esse turbidos, turbatos, & corruptos. Dixi hac de re alias, neque repetere piget, quia Danæum, iterum, ac sæpius mentiri non piguit. Bellarminus id tantum docet, Hebræos, ac Græcos codices, neque planè, aut magna ex parte corruptos, ac deprauatos esse, quod quidam asserebant, neque tamen mendo planè omni immunes conseruatos esse: quod vel impiorum hominum peruersitas, vel librariorum incuria aliquid aliquando mutauerit: quare fontes eos, neque plane turbidos, neque tamen purissimos fluere. Huic, quicquid addit Danęus, non Bellarmini doctrina, sed ipsius mendacium est. Mentitur quarto cum de tertio vitio, quod Bellarmino de suo appingit, disputans, docere Bellarminum ait, facilius à nobis præstari legem Dei, quam intelligi colum. 125. l. D. Bellarminus cap. 2. ad primum argumentum Hęreticorum, quo probare se putant facilem esse intellectu sacram scripturam, ex illo Deuteron. 30. Mandatum, quod ego præcipio tibi hodiè, non suprà te est, his verbis respondet. *Plurimi veterum hunc locum intelligunt, non de facilitate intelligendi scripturas, sed de facilitate implendi mandata Decalogi, cum adest gratiæ auxilium, quod est contrà omnes Lutheranos qui docent impoßibilia esse Dei mandata.* Negat Bellarminus, idque auctoribus Tertulliano, Origene, Ambrosio, Chrysostomo, verba ea intelligi de facilitate intelligendi, sed ait loqui eo loco Mosen de facilitate implendi præcepta; vndè igitur habet Danæus, docere Bellarminum facilius præstari, quam intelligi posse mandata Dei? Mentitur quinto cum in iis con-

contradictionibus, quas obiicit Bellarmino, quę re vera merè Danæi ineptię sunt, neque defensione indigent. Mentitur, inquam, cum ait, docere Bellarminum, Ecclesiam non iudicare de sacræ scripturæ intelligentia: sed tantum de intelligentia mea, aut tua; *Quasi*, inquit, *diuersa sit iudicii ratio.* Locus hic Bellarmini, quem Danæus deprauat, est in capite. 10. in responsione ad decimumquartum Hæreticorum argumentum: vbi Bellarminus hæc scribit. *Duobus modis potest intelligi Ecclesiam iudicare de scripturis; vno modo, quod iudicet, verum né sit, an falsum quod scripturæ docent: altero modo, quod posito vt fundamento certissimo, scripturæ verba esse verissima, iudicet quæ sit vera eorum interpretatio. Et quidem si primo modo Ecclesia iudicaret, verè esset suprà scripturam; sed hoc non dicimus; quamuis Hæretici calumnientur id nos dicere; qui passim calumniantur nos subiicere scripturam pedibus Papæ. At secundo modo iudicare Ecclesiam, vel Pontificem de scripturis, quod nos asserimus, non est Ecclesiam esse suprà scripturam: sed suprà iudicia priuatorum hominum. Non enim iudicat Ecclesia de veritate scripturæ, sed de intelligentia tua, & mea, & aliorum; neque hinc sumit verbum Dei aliquod robur; sed intelligentia nostra: non enim scriptura est verior, aut certior, quia sic Ecclesia exponit, sed mea sententia est verior, quandò ab Ecclesia confirmatur.* Docet ergò Bellarminus non iudicare Ecclesiam de veritate scripturæ, quam nouit esse infallibilis veritatis, sed de veritate interpretationis: Nam cum ego vno; tu altero modo, ille alio interpretamur; accedit iudicium Ecclesiæ, quæ hanc docet esse veram intelligentiam scripturarum; quarè de priuatorum interpretationis veritate iudicium Ecclesia fert; ac declarat errare Caluinum, verbi gratia, cum verba cœnæ Domini figuratè non propriè interpretatur. Mentitur denique, cum ait fieri à Bellarmino Augustinum sibi ipsi repugnantem, item Chrysostomum & Hieronymum, quibus tamen maximè velut suę sententiæ auctoribus vtitur. Adscribit columnæ numerum. 123. Adij codicem Lugdunensem; consului; hominis mendacissimi impudentiam miratus sum. ea columna partem complectitur capitis primi libri tertii, quo loco Bellarminus citat Augustinum pro obscuritate scripturarum, ità, vt quia apertissimè asserit obscuras admodum esse scripturas, né verbum quidem vllum Bellarminus subiecerit, quo Augustini mentem illustraret. Nequè Chrysostomum, aut Hieronymum, aliter eo loco citat Bellarminus, sed nimirum Danaica fide Danæus semper agit.

4. Par-

4. Parcius etiam, quàm ex 3. libro Danæi mendacia ex 4. proferemus, & vix, vt ita dicam delibabimus, vt ad 2. controuersiam aliquando transeamus, quanquam non parcius ipse mentitus est. Ad caput 3. in quo capite Bellarminus vndecim illustrissima Kemnitij mendacia detegit, vt aliquid dicere pro Kemnitio videatur, sua etiam ipse addit Danæus. Mentitur primò cùm ait, Bellarminum perculsum obiectionibus Kemnitij, apertè in respõsione ad secundum eius argumentum fateri magnam canonis Missæ partem ducentis annis post Apostolorum obitum inuentam esse. Atqui Kemnitius ait docere Catholicos, totum canonem esse ex Apostolorum traditione. Respondet Bellarminus, mendacium esse Kemnitij, tantumque abesse, vt Ecclesia Catholica doceat totum Missæ canonem esse ex Apostolica traditione, vt certissimum sit, addita fuisse nonnulla ducentis etiam annis post obitum Apostolorum. Mentitur secundò cùm ait, concedi à Bellarmino, consuetudinem tantùm Ecclesiasticam, non diuinam institutionem esse, vt aqua, vino, in sacris Altaris mysteriis misceatur, vtque aqua sale permixta in templis habeatur. Probat enim Bellarminus ex ipsius Alexandri verbis, à quo institutionem hanc emanasse Kemnitius dixerat, eum ritum Alexandro antiquiorem esse. & Cypriani testimonio confirmat, à Domino ipso profectum. Item ex eodem Alexandro probat aquæ benedictionem antiquiorem esse. Neque planè vacat mendacio, quod de consecratione Altarium, deque quarti temporis ieiunio ita subiicit, quasi concesserit Kemnitio Bellarminus id, quod contendebat, Altarium consecrationem à nobis pro Apostolica traditione haberi, cùm non sit. Duplex in ea obiectione erat Kemnitij mendacium; alterum, quòd eam traditionem à nobis in Apostolicis numerari dixit; alterum, quòd eam Fœlici Pontifici tribuit. Vtrumque vnica responsione refellit egregius veritatis assertor. *Constat,* inquit, *Syluestrum huius ritus auctorem fuisse.* At, si id inter nos constat, Apostolis eam institutionem profectò non tribuimus, aut certè proferre Kemnitius debuit, qui ex Catholicis scriptoribus eius ritus originem ad Apostolos referrent. Iam de quarti temporis ieiunio, mentitur Danæus; non enim obiicit nobis Kemnitius, quòd vnũ ex quatuor anni ieiuniis Apostolis tribuamus, sed quòd ipsam quatuor temporum obseruationem ab Apostolis repetamus; cùm tamen à Calixtò principium duxerit. Cui Bellarminus respondet, nos dicere, eam obseruationem vt ieiunaretur tribus anni tempori-

bus ab Apostolo manasse, vt Leo primus Romanus Pontifex expresse docet, sed Calixtum addidisse quarti temporis ieiunium. Aut igitur tardus admodum est Danæus, qui non intelligit, in quo sita sit obiectio Kemnitij, & responsionis Bellarminianæ vis, aut mendax, qui alia omnia viro doctissimo tribuit, quàm quæ docet. Mentitur quartò, cùm ita scribit: *In responsione ad decimum exemplum Kemnitij, paralogismum à non consequente admittit, sic. Cyrillus meminit factæ sanctorum, in sancta liturgia commemorationis, ergo meminit sanctorum inuocationis. Non sequitur. Aliud enim est, fuitque semper, commemoratio sanctorum in sancta liturgia, aliud eorum inuocatio, hæc à Siricio instituta, illa vetustissima, de qua non loquitur Kemnitius.* Vbi duo mendacia sunt Danæi: alterum, quòd negat loqui Kemnitium, de commemoratione sanctorum in sancta liturgia, cùm Kemnitius expressè ita scribat: *Siricius memoriam & inuocationem sanctorum Missæ addidit.* Alterum, quod ait, Cyrillum solius commemorationis, non etiam inuocationis meminisse, cùm in hæc verba citetur à Bellarmino. *Cùm hoc Sacrificium offerimus, facimus mentionem eorum, qui antè nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras.* Mentitur quintò, cùm ait, concedere Bellarminum Hæreticis, dum eorum contradictiones & mendacia numerat, Deum iussisse Apostolos nouum Testamentum scribere. Hoc ille nunquam concedit, sed docet tantummodo mentiri Kemnitium, qui dicit, docere Catholicos, iussisse Deum, Apostolos non scribere, nisi fortè, vt est Dialecticis apprimè eruditus, ita argumentatur Danæus. Non iussit Deus ex Bellarmino, Apostolos non scribere; ergo iussit eos scribere. Quam argumentandi rationem, si probandam Danæus existimat, cogitet ipse secum, quid responsurus sit, si quis eadem planè argumentationis ratione vsus, ita ratiocinetur. Cùm Apostolus 1. Corinth. 7. consilium dat, vt virgines abstineant matrimonio, non præcipit nè abstineant; præcipit igitur Apostolus, vt virgines abstineant matrimonio. Aut; Christus non præcipit, ne se fideles tortoribus offerant, persequutionis tempore: præcipit igitur, vt se offerant. Sed quid opus est Danæi Dialecticam exagitare in præsentia, cùm fidem teneamus? Mentitur sextò, cùm ait, docere Bellarminum, Deum præcepisse Apostolis, vt docerent, & duntaxat prædicarent, quasi dicat Bellarminus Apostolis ita præceptũ, vt prędicarent, vt scriptione fuerit interdictum. At ipse sic scribit: *Falsum quoque est,*

Deum

Deum mandasse Apostolis, vt scriberent: legimus enim mandatum Mat. vlt. vt prædicarent Euangelium, vt autem scriberent, nusquam legimus. Itaque Deus, nec mandauit expreßè, vt scriberent, nec vt non scriberent. Nec tamen negamus, quin Deo volente & inspirante, Apostoli scripserint, quæ scripserunt; aliud enim est, aliquid facere Deo suggerente & inspirante, aliud eo apertè præcipiente. His addam vnum ex his, quæ scribit ad cap. 12. Danæus, ac finem huic capiti faciam. Ad cap. ergo 12. nobili mendacio disputationē suam claudit. Nam de Bellarmino loquens, *Ostendit*, inquit, *teste Irenæo & Tertulliano, esse Hæreticorum negare omnia, quæ sunt piis ad salutem necessaria, contineri in S. Scripturis.* At Bellarminus hæc scribit conceptis verbis in responsione ad 4. Hæreticorum argum. *Respondeo, Hæreticos esse simias Catholicorum, vt Cyprianus docet in epist. ad Iubaian. & propterea velle etiam ipsos habere mysteria: interest tamen inter mysteria illorum & nostra; quòd eorum mysteria ideò secretū petunt, quia turpißima sunt, vt patet de illis ipsis Gnosticis, qui ex semine viri, & menstruis mulierum conficiebant Eucharistiam, vt Epiphanius refert; quod etiam refert August. de Manich. lib. de hæres. c. 46. & similia cōstat esse mysteria Anabaptistarū, & inde est, quod ipsi volunt, ea secreta esse hominibus doctis, & solùm imperitis manifesta. De hoc. n. arguunt Irenæus & Tertullianus veteres Hæreticos, quod dicerent, Christum nō tradidisse ea mysteria Apostolis, nec Apostolos suis successoribus Episcopis, sed nescio quibus aliis.* Quid in his verbis Danaico illi mendacio simile, aut commune? certè multò dixisset verius Danæus, hanc esse propriam Hæreticorum notam, atq; insitum characterem; vt, quoniam à Diabolo sunt fratrum calumniatore, ac parente mendacij, mendaciis suis omnia commaculent, & piis vbique calumnientur.

Quæ in 2. controuersia de Bellarmino mentitur Danæus. CAP. X.

TRES primi huius controuersiæ libri, quibus de Trinitate, atq; incarnatione disputat Bellarminus, nihil admodum continent, quod inter nos & Caluinianos in controuersia sit. Quamobrem, etsi vt institutum suum retineat, nonnihil aliquando etiam in iis de Bellarmino mentitur Danæus; plerumq; tamen, vt nihil contrà disputat, ita mentiendi locum non habuit. Duo posteriores libri, quibus de perfectione animæ Christi, eius descensu ad inferos, officio mediatoris, ac merito q̄ritur, mendaciis Caluiniano more referti sunt. Ex quibus hîc aliqua proferam, vt ostēdam Danęum, vbiq; sui similem, atq; eodem afflatū Spiritu mendacij in Ecclesiam debacchari.

1. Li-

1. Libro ergo 4. ad caput 4. rationes, quibus Bellarminus probat, Christi animam ab instanti suæ Incarnationis fuisse sapientissimam, diluere aggressus, miscet multa mendacia. Ita in solutione secundæ rationis tribuit Bellarmino, quòd faciat vnionem naturarum hypostaticam in Christo, effusionem proprietatum Deitatis essentialium, qualis est omniscientia, in humanam Christi naturam. At verba Bellarmini hæc sunt: *Sapientia & gratia Christo homini naturalis fuit, vt docet Augustinus in Enchiridio cap. 40. non quidem, quòd non fuerit à Deo animæ infusa, sed quia in Christo ab intrinseco principio, & per modum naturæ fluebat: siquidem ipse Christus seipsum gratia, & sapientia replebat, id est ex vna Christi natura, in alteram hæc dona redundabant. Ergo non accepit Christus illam sapientiam, post incarnationem, sed in ipsa Incarnatione; nam ideò dicitur naturalis, quia statim, & abundantissimè manauit.* Vbi in his verbis effusio proprietatum Deitatis essentialium in humanam Christi naturam? Vbi omniscientia? Certè qui dicit à Deo scientiam infusam in animam, accidens esse eam dicit: at sapientiam & scientiam, quæ essentiale Deitatis attributum est, Catholici substantiam dicimus. Neque vllam à Deo emanationem in tempore, nisi creaturæ alicuius agnoscimus. Quod, si Caluinus, eiusque sectarij aliter sentiunt; nos Patrum & Ecclesiæ Catholicæ more & loqui & sentire solitos norint. Tertiam item rationem deprauat, & quidem duobus modis. *Sic*, inquit, *arguit. Cœpit Christus ab incarnatione esse Filius Dei; ergo & omniscius.* At Bellarminus: *Christus homo in Incarnatione cœpit esse Filius Dei; ergo tunc debuit repleri omnibus donis.* Vbi, vt vides, alterum consequens, pro altero supposuit Danæus: atque in omniscientiæ nomine dupliciter mentitur. Et quia Bellarminus nunquam docuit, animam Christi esse omnisciam, hoc est absolutè nosse ea omnia, quæ Deus scit. Et quia, cùm duplex omniscientia possit intelligi, vna, quæ sit habitus creatus infusus in animam hominis, qua creatura, cognitione longè inferioris ordinis, quàm sit cognitio diuina, videat ea omnia, quæ scit Deus, qualem omniscientiam Magister sententiarum, & quidam alij Scholastici sanctissimæ Christi animæ concesserunt, licet alij plurimi denegent; qua de re suprà disputauimus. Altera verò omniscientia Diuina, qua Deus cognoscit omnia, quæq; ab essentia Diuina non differt, quam ij Christo tribuunt, qui effusionem attributorum comminiscuntur. Cùm igitur duplex hæc omniscientia possit intelligi; Danæus monstrosam hanc omniscientiam à paren-

parentibus suis Lutheranis Vbiquetariis, in Bellarminum transtulit, vt in eo, quod reprehenderet, inueniret. Sic enim respondet ad eam Bellarmini rationem. *Christus fuit ab initio Incarnationis Filius Dei, qua Deus est, non qua homo: ergo qua Deus, non qua homo fuit omniscius. Hoc Bellarminus formaliter iam sumit ab Vbiquetariis.* Atqui cùm ille dixerit, Christum debuisse repleri omnibus donis, omniscientiæ non meminerit; non video, vnde eam Danæus in hanc disputationem inuexerit. Deinde, etiamsi dixisset omniscientiam, tamen fatuam Vbiquetariorum omniscientiam, totus ipse sermonis textus excluderet; nam cùm addiderit, debuisse eum repleri omnibus donis, quia cùm sit Filius, debet esse hæres omnium bonorum paternorum, & quidem statim, quia Pater nunquam moritur: quare non est exspectanda successio in hæreditatem: satis indicauit bona ea, ac dona, de quibus loquitur, creata esse debere: nam sapientia diuina, & omniscientia ad essentiam spectant, qua Filius est, & constituitur Deus, quamque tanquam dominus non possidet. Quare necessariò, cùm de iis bonis loquatur Bellarminus, quorum hæres & dominus Christus est, quia est Filius Dei; ea aũt nonnisi bona creata esse possint, apertissimè effusionem illam Vbiquetariam exclusit. Quartam item rationem inuertit, eaq; suppressa, quæ à Bellarmino affertur bona, ac solida; suam quandam commentitiam supponit. *Quarta ratio*, inquit, *fallacia est à non consequente, nempe à destinatione ad rei existentiam. Nam Christus ante iacta mundi fundamenta, præordinatus est, & prædestinatus Agnus mundi, caput Ecclesiæ, &c. Ergo re ipsa iam erat homo, & actu talis existebat. In mente quidem Dei iam talis propter prædestinationem, vti dicitur ab initio mundi fuisse mactatus, Apoc. 13. v. 8. re ipsa tamen, & in rerum natura, seu formaliter, & actu nondum.* At Bellarminus ne meminit quidem destinationis, sic enim scribit: *Quarta ratio, Christus homo in ipsa Incarnatione factus est caput, non solùm hominum, sed etiam Angelorum, vt omnes concedunt; ergo debuit tunc repleri sapientia, & gratia, & ipsa etiam beatitudine; nec enim conueniens erat, vt caput esset minus ornatum, & minus sapiens, quàm sua membra.* Vbi hîc vlla destinationis mentio?

2. Ad caput 5. neque pauciora & longè immaniora mendacia congerit, dum euersurum se pollicetur Bellarmini responsiones ad Hæreticorum argumenta. Duo fundamenta iacere eum dicit suarum solutionum, quę multa continent Danæi mendacia. *Primum est*, inquit, *Christum eam humanam naturam assumpsisse, quæ eodem modo*

Perfecta esset, quo in primo homine Adamo, sic enim dictum Athanasij quod profert, intelligit. *Christus est perfectus homo.* Quibus in verbis duo mendacia sunt. Alterum, quod ait, docere Bellarminũ à Christo eam humanam naturã assumptam esse, quæ eodem modo perfecta esset, sicut in primo homine Adamo, cùm ille conceptis verbis affirmet, Christum non quidem omnes, sed aliquos tantùm defectus naturæ corruptæ assumpsisse, vt mortem, famem, sitim. Alterum, quod ait, ita à Bellarmino intelligi dictum Athanasij, cùm Bellarminus tantùm de ea perfectione intelligat, qua perfectum id dicitur, quod habet ea omnia, quæ sibi naturaliter debentur. Ipsa eius verba rem planã facient. *Respondeo*, inquit, *Christum accepisse duo quædam ex nostris rebus in Incarnatione. Primò naturam integram, cum omnibus, quæ ad eius perfectionem pertinent; nam vt ait Athanasius in Symbolo, perfectus Deus est Christus, & perfectus homo.* Hîc certè, neq; Adami neq; eius perfectionis meminit Bellarminus, quam is in statu innocentiæ habuit. Pergit. *Secundò*, inquit, *accepit aliquos defectus consequentes naturam nostram corruptam, vt mortem, famem, sitim, &c. non tamen omnes defectus: nam non accepit peccatum, fomitem, ignorantiam, cuius rei causa est, quoniam cùm defectus non pertineant ad essentiam vel perfectionem naturæ assumptæ, ex huiusmodi defectibus, non debuit assumere, nisi illos, qui conducebant ad finem Incarnationis.* Hîc certè apertè affirmat defectus aliquos naturæ corruptæ in Christo fuisse, & apertè Athanasium interpretatur de iis, quæ naturæ humanæ propria & naturalia sunt. Hinc etiam tertium Danæi mendacium refellitur, quod paulò post subiicit, cùm ait, docere Bellarminum, in Christo fuisse carentiam omnis infirmitatis, etiam in anima. Nam neque Bellarminus hoc vnquam dicit, & falsum est. Qui enim habuit animam, quæ, & dolere, & timere, & tristis esse, ac tædio affici posset: is profectò omni animi infirmitate non caruit. Sed hæc, quanquam mendacia, tolerabilia tamen in homine Caluiniano videri possunt; illud modum omnem mendacij ac mendacitatis superat. *Secundum*, inquit, *Bellarmini fundamentum est, ignorantiam istam esse peccatum, quòd Christus qua homo, diem Iudicij ignorauit.* Atque in eo tam immani figmento suo, confutando immoratur. At vbi hoc vnquam scripsit, dixit, cogitauit, aut somniauit Bellarminus; cuius etiam somnia sapientiora sunt, quàm Caluinianę vigiliæ? eo quidem certè loco, quem habemus præ manibus, bis ignorantiam, tanquam defectum à peccato, & fomite peccati distinctum enumerat. Nam

cùm

cùm negat, Christum omnes naturæ corruptæ defectus accepisse, *Non accepit*, inquit, *peccatū, fomitem, ignorantiam*. Et paulò post: *Fomes*, inquit, *peccatum, ignorantia, non erant vtilia ad saluandos homines*.

3. Hac vsus, veluti prælusione linguæ, rem propius aggreditur, ac singulas responsiones labefactare conatur. Ac primam, licèt non sine ineptiis, tamen vtcumque sine vllo, paulò illustriore mendacio prætergressus, secundam ita impugnat. *Christum*, inquit, *vult à suo ipsius Spiritu, vtpote, qui verus Deus sit repletum fuisse, non vi aliena & adscititia, id, quod est nobiscum sentire, quemadmodum facit Athanasius. Verùm, agnoscit nihilominus & fatetur, Bellarminus, hanc in Christo Domino sapientiam, per eadem temporum momenta, creuisse, per quæ corpus ipsius velut templum crescebat, quod est, istam scientiæ infusionem, ab ipso conceptionis momento, factam apertè negare.* Vbi duo sunt mendacia. Alterum, quod ait, docere Bellarminum, à suo ipsius Spiritu, vtpote qui DEVS erat, non vi aliena & adscititia, Dominum impletum fuisse sapientia. Quod, etsi alioqui à veritate non abhorret: Bellarminus tamen id eo loco non dicit. *Implebatur*, inquit Bellarminus, *sapientia, non aliundè adscita, sed ea, quæ in ipso erat, diffundente se, & possidente omnia membra, & omnes sensus.* Negat ergo Bellarminus, non solùm aliena, & adscititia vi factum, vt sapientia puer impleretur, quia nimirum non externa vis, sed Diuinitas, quæ in illo puero erat, sapientiam produceret, qua puer impleretur; sed negat etiam tum, cùm puer implebatur, adscitam nouam sapientiam fuisse, cuius accessione puer, cùm cresceret, impleretur. Sed Danæus, vt posteriori mendacio locus relinqueretur, verba eius inuertit. Neque enim alterum illud mendacium subiicere potuisset, agnoscere, & fateri Bellarminum, hanc in CHRISTO homine sapientiam, per temporum momenta creuisse, per quæ creuit eius corpus, si ipsa Bellarmini verba, ac sententiam præscripsisset, cùm is doceat, ita impletum fuisse corpus, ac membra eius, dum crescerent sapientia, vt sapientiæ nihil adsciseeretur de nouo. Mendacium igitur duplex hoc loco est. Alterum, quod quæ Bellarminus dixit de ipsa sapientia, qua implebatur Dominus, quam negat fuisse aliundè adscitam; ea Danæus, non de ipsa sapientia, sed de vi, qua sapientia illa effecta est, callidè ac perperam interpretatur. Alterum, quod docere Bellarminum ait, eam sapientiam creuisse per temporum momenta,

quibus corpus illud, quasi templum Diuinitatis crescebat, quod vir doctissimus nunquam asseruit. libet integrum adscribere locũ Bellarmini, vt lector intelligat, quam, aut mendacem, aut stolidum Danæum fuisse necesse sit; qui, aut rem clarissimè explicatam non intellexerit: aut studio calumniandi, sciens, ac volens peruerterit. Bellarminus igitur, dum diluit Hæreticorum argumentum, quod ex iis verbis Lucæ 2. petebatur. Plenus sapientia, vel vt Hæretici malunt vertere, Implebatur sapientia; postquam ostendit versionem nostram commodè retineri posse, & debere, addit etiam illud. Etiamsi ita vertamus, vt vertendum existimant Hæretici, nihil tamen eam lectionem officere posse fidei catholicæ veritati. *Secundò*, inquit, *dico, si legamus paßiuè, Implebatur, sensum hunc esse, quòd sapientia, tam increata, quàm creata, quæ in ipso erat, replebantur in dies magis organa corporea, & mouebantur, atque aptabantur ad opera excellentiora facienda. Quem sensum indicat Athanasius in sermone contra Arianos, & quadrat hic sensus valde textui. Puer enim crescebat corpore, & corroborabatur Spiritu non extrinsecus adueniente, sed qui in ipso erat, vt opera perfectiora faceret, & pariter implebatur sapientia, non aliundè adscita, sed ea, quæ in ipso erat, diffundente se, & possidente omnia membra, & omnes sensus. Vnde sequitur, & gratia* DEI *erat in illo, non ait, acquisiuit gratiam, sed gratia erat in illo, eum fouens & dirigens. sicut ergo in ipsa conceptione Spiritus, & sapientia repleuit illud corpusculum, tanquam paruum templum suum: ita postea crescente illo templo, quodammodo se extendebat Spiritus, & totum replebat.* Quibus verbis vides, quàm apertè vtrúmque Danæi mendacium conuincatur. Tertiam porrò suorum rationem, nihilo defendit verecundius. *Ad tertium nostrum argumentum*, inquit, *ex Lucæ 2: versic. 52.* CHRISTVS *proficiebat sapientia, nihil respondet, nisi Spiritum Dei mentitum esse, quæ summa est blasphemia.* At vbi hoc, vel dixit, vel innuit, vel suspicandi vlli hominum ansam vnquam dedit Bellarminus? *Est*, inquit, *certa & communis expositio eorum Patrum, quos suprà citauimus, Gregorij, Nazianzeni, Cyrilli, Damasceni, Theophylacti, Bedæ, Anselmi, Bernardi, & aliorum, quòd Christus profecerit sapientia, & gratia, opinione hominum, quibus indies magis aperiebat sapientiam suam, quomodo Sol, quo magis ascẽdit versus medium cœlũ, tantò magis dicitur proficere in lumine, & calore: nõ quòd in se fiat lucidior & calidior; sed quia magis apparet eius virtus.* Hæc Bellarm. qui nõ suã aliquam cõmentitiam, sed Patrum expositionẽ affert, atq; exemplo probat

probat eum loquendi modum, quo eo loco vsum Euangelistam existimat vetus Ecclesia; non esse alienum à communi etiam modo loquendi. sed nimirum nouatoribus, Patrum, atquè antiquitatis fides, & intelligentia scripturarum blasphemiæ sunt. Iam in confutatione quartæ solutionis non modò mendax, verum etiam ridiculus est. *Nihil habet*, inquit, *quod vllo pacto respondeat, tantum in variis aliorum responsionibus, quas tamen ipse reiicit, recitandis immoratur. Ipse, vi veritatis conuictus nihil affert. Nam sine circuitione ait, Marci 13. u. 32. Nec filius hominis scit diem Iudicii, & alibi, solus Pater scit, Act. 1. u. 7. probat tandem eam solutionem, per quam Christum sibi contrarium facit.* Quibus verbis, primo locum ex Actorum 1. planè corrumpit, neque enim quicquam eiusmodi in eo capite legimus. Dicit quidem Dominus, cum Apostolis loquens, non esse ipsorum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed nequè solum Patrem nosse; neque in sua solius potestate Patrem posuisse, eo capite memorat. Quem locum, ad caput etiam primum quarti huius libri, non longè à fine deprauat Danæus, cum errorem suum ex scholasticis probare contendit, vbi de Durando sic scribit. *Docet*, inquit, *gratiam, & sapientiam, quam accepit Christus, esse finitam, nec ad ea pertingere, quæ in sui vnius potestate Pater posuit, quale est, scire diem Iudicii. Act. 1. u. 7.* Ad quem Actorum locum pronomen illud, Vnius, de suo Danæus apposuit. Hoc igitur primum est hoc loco Danæi mendacium, quod ad deprauata scripturæ ab eo testimonia spectat potius, quam ad id, de quo agimus. Illud secundum, quod ait Bellarminum nullam afferre solutionem, sed quas alii afferunt enumeratas reiicere. Quod mendacium, duabus, tribusuè lineis post ipse refellit Danæus, cum subdit, probari à Bellarmino eam solutionem, per quam Christum sibi contrarium facit. Nam si aliorum solutiones reiicit, ipse nihil affert, nullam profectò solutionem probat; sin autem eam probat, per quam Christum contrarium sibi facit, aliquid profectò affert, qualecumque demum illud sit. sed non est hic mentiendi hoc loco Danæo finis. Postquam enim quędam alia contrà Bellarmini solutionem attulit, planè futilia. *Denique*, inquit, *contrà, & ipsius Marci textus verba, & omnium Patrum, quos sequi se simulat fidem, & doctrinam, hanc sententiam falsam esse, ait, & eam ad Christum, qua Deus est, non qua homo, refert imperitissime.* Quē locum, priusquam examino, solutionem ipsam Bellarmini, de qua agimus profero. *Est*, inquit, *postrema expositio eiusdem sancti Gregorii loco*

loco notato, nec non Ambrosii de fide cap. 8. Hieronymi, Chrysostomi, Theophylacti in caput 24. Matt. Basilii, lib. 4. contrà Eunomium, & Aug. lib. 4. de Genesi contrà Manichæos. cap. 22. & lib. 1. de Trin. c. 12. quod filius dicatur nescire, quia non sciebat ad dicendum aliis, & quia eos nescientes faciebat: quæ quidem explicatio est ad propositum huius loci. Vult enim Dominus reddere causam, cur non manifestet eum diem, & dicit causam esse, quia non scit, hoc est, non didicit hoc à Patre, vt reuelaret aliis, sed vt sibi secretum hoc seruaret. Hęc Bellarminus; ex quibus satis apparet mentiri primò Danæum, cum ait, contrà omnium Patrum, quos sequi se simulat, fidem, & doctrinam sentire Bellarminum. Cur enim, cum non solum singulorum nomina, sed libros etiam, & capita adnotet, vbi eam expositionem probari à patribus dicit; non profert eorum verba, atque ex chirographo falsi hominem sibi tam inuisum conuincit Danæus? Ex iisdem Bellarmini verbis apparet secundò, mentiri Danæum, cum ait docere Bellarminum, hanc Marci sententiam esse falsam: loqui enim non de hæresi Caluini, sed de ipsa Euangelii sententia Danæum, satis indicant verba sequentia. *Hanc sententiam,* inquit, *falsam esse ait, eamque ad Christum, qua Deus est, non qua homo, refert ineptissime.* De ea igitur sententia loquitur Danæus, quam Bellarminus interpretatur. At viro doctissimo, maximeque Catholico. Caluini hæreses interpretari, eo præsertim loco, curæ non fuit. Porrò mentiri Danæum, cum tantam notam, viro optimè de Ecclesia merito inurit, vt affirmari ab eo dicat, falsum aliquid ab Euangelista mandatum literis, nemo non videt. Vbi enim hoc vnquam dixit is, qui ei loco, eam vult subesse sententiam, quam veram tanti Patres agnoscunt, quique probat ex similibus scripturæ loquutionibus phrasim Euangelistæ capacē eius sententię esse? *Præterea,* inquit, *scriptura passim ità loquitur, vt Gen. 22. Nunc cognoui, quod timeas Deum, hoc est, nunc ostendi tibi, & aliis, quantum me colas. Io. 15. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis: & tamen non omnia simpliciter eis indicauerat: nam cap. 16. ait; Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Dixerat ergo illis, quæcumque audierat à Patre ad dicendum illis. Ita igitur hoc loco, dicit se non scire, nisi, quæ sciebat, vt illis diceret.* Mentitur tertiò cum ait, referri ea verba à Bellarmino, ad Christum, qua Deus est, nō qua homo. Cum is conceptis verbis doceat, ea intelligi de Christo, qua homo est, quo modo non facit scire Spiritum Sanctum, nō autem qua Deus, nam qua Deus scire facit, & Spiritum sanctū producen-

ducendo, ac spirando, & humanitatē suam reuelando. *Ad secundam,* inquit, *dico, Filium non scire ad dicendum vlli omnino, sed intelligendo de Filio, vt homo est, quomodo non fecit scire Spiritum Sanctum; Solus autem Pater dicitur scire, quia fecit scire Christum hominem, vt August. dicit lib. 1. de Gene. contra Manichæos. c. 22. quod autem conuenit Patri, conuenit etiā aliis personis, quia sunt eiusdem naturæ; itaque idem est, ac si dixisset, nemo scit, nisi Deus.*

4. Ad caput porrò 7. lib. huius quarti, quia nihil habebat ꝙ responderet ad ea, quibus Bellarminus probat, ex dictis Caluini, colligi animæ mortalitatē, rhetoricis interrogationibus, & maledictis in Monachos cum scopulū præteruectus; né paucas illas lineas sinè mendacio abire sibi pateretur: *Quis,* inquit, *manifestius animarum immortalitatem negat, quā iste? qui hoc libro col. 425. l. D. & 426. negat animas nostras esse posse in loco extra sua corpora: itemq; vult animas nostras extra sua corpora nullā, nisi extraordinariā actionē habere, aut edere, & nihil extra suum corpus operari; hoc verò est animæ immortalitatē detrahere.* Quo suo mendacio, ità delectatus est, vt illud in censura posterioris partis lib. 4. repetierit; ac primā Bellarmini hæresim numerauit, ꝙ velit, *animā separatā à suo corpore, nihil operari posse naturaliter, id est ex vi, & proprietate suæ naturæ, sed tantū supranaturaliter, atq; etiam Deo sigillatim iubente, vt cum Angeli mouent corpora aliqua ex peculiari Dei iussu; hoc est animas constituit mortales, si nulla sit earum, postquā ex his corporib. euolarunt naturalis, propria, & ordinaria actio.* Quibus verbis duplex mendaciū continetur; alterū quod ait, à Bellarmino negari animā, cum exierit à corpore, esse in loco. At Bellarminus eo loco cōtra Durandū disputat, qui probare nitebatur, animas à corpore separatas, in loco esse non posse, ac proindè non descendisse animā Christi ad inferos, secundū substantiā suā, sed solū secundū operationē. Affert autę primò Durandi argumentum in hanc sententiā; Animæ nō sunt in loco, nisi per operationē; itē, vt cæteræ res spirituales; sed animę separatæ nullā exercere possunt operationē in loco, nō igitur esse possunt in loco. Eamq; Durandi rationē triplici ratione ipse cōfutat. Primò, quia probabile est Angelos, & animas esse in loco per suā substantiā, nō tantū per operationem, vt Scotus, & alii non pauci docent. Ita §. respondeo primo. *Respondeo primo,* inquit, *non esse improbabilem eorum sententiā, qui docent, tam Angelos, quā animas esse in loco per suā essentiā.* Secundo quia si cōcedamus Durādo id, ꝙ etiā Sanctus Thomas affirmat, nō esse in loco res spirituales, nisi ꝑ operationē; ac pręterea demus nō posse animam

mam extrà corpus operari naturaliter; tamen potest diuina virtute fieri, vt operetur, ac sit in loco; id quod confirmat ex scripturis veteris, & noui testamenti, & auctoritate Augustini, & Gregorii. Quare etiam si illud verum esset, non tamen indè benè colligeret Durandus non potuisse animam Christi ad inferos per substantiam suam descendere. Nam operationem, quam naturaliter non habuisset; habuisset suprà naturaliter. Ità §. secundo; *Secundo dico,* inquit, *secundum Beatum Thomam animam quidem naturaliter non posse applicari certo loco, nisi per operationem; quæ sententia expresse est Nysseni lib. de anima, cap. 11. nec operari posse extra suum corpus; tamen supernaturaliter vtrumque posse, vt idem Beatus Thomas fatetur. p. p. q. 117. & cæter.* Tertiò denique, impugnat rationem Durandi Bellarminus; *Quia potest,* inquit, *anima, Deo iubente, nihil operari in corpore, & tamen alligari certo loco, etiam si nos modum non intelligamus, vt Augustinus docet libro 21. de ciuitate Dei. cap.* 10. Qui ergò tam disertè Durandum eo loco impugnat, quod neget animas à corpore separatas in loco esse posse, qua ratione id eis denegaret? Porrò quod non laboret, vtrum in loco naturaliter esse possit, an diuina virtute egeat anima, vt in eo constituatur; ex eo oritur, quod, ad id, de quo eo loco agitur parum interest, vtrumlibet dicatur, siuè enim naturaliter, siuè virtute diuina, animæ esse ponantur in loco, potuit ad inferos Christus descendere: quod Durandus ex eo negat, quod nulla plane ratione existimat, animas esse posse in loco. Alterum, quod falsò Bellarmino tribuit, est, quod docere eum ait, nō posse animas à corpore separatas operari, aut actionem vllam edere. Quod nescio vtrum imperitiæ potius, an mendacitati hominis, an vtrique adscribam. Est enim æquiuocatio in vocabulo operationis; quod nomen, vel quia in virorum doctorum scriptis parum versatus est, vel callidè, vt calumnietur, ità Danæus accipit, quasi dicat Bellarminus, animam extrà corpus, nullam planè operationem, neque in se, neque in alio exercere posse. Quod si ità esset, re vera mortales esse animas sequeretur. At verò Bellarminus accipit, pro operatione transeunte in extrinsecum. Est enim inter scholasticos quęstio, vtrum res spirituales in loco sint per suā substantiam, an verò per operationē aliquā, quā exerceant in re aliqua corporea, quæ in eo loco sit, in quo eæ per operationem suam constitui debent. Quarè cum vel leuiter imbuti Theologicis, eam quęstionē agitari inter scholasticos norint; nō solemus, quādo ea de re quęrimus, ꝓponere quęstionē in scholis, nisi

his

his verbis. Vtrum Angeli ſint in loco per operationem. Omnes enim ſciunt de tranſeunte ſermonem eſſe: Quandò ergò Bellarminus ait, animam non operari, ità vt per eam operationem in loco ſit, (de hac enim operatione agebat) de operatione tranſeunte, nõ de immanente intelligit. Quod ex ipſiſmet eius verbis manifeſtũ eſt. Nam rationem Durandi ità proponit. *Animæ, non ſunt in loco corporeo, niſi per operationem, quam exercent in illo loco*; & §. ſecundò dico ſecundum Beatum Thomam; *Itaque*, inquit, *poteſt anima ſeparata, Deo iubente mouere corpora, apparere, loqui, & operari eo modo, quo Angeli operantur.* Vbi manifeſtè vides ſermonem eſſe de operationibus transeuntibus; & clarius §. Poteſt etiam. *Poteſt*, inquit, *etiam anima Deo iubente nihil operari in corpora, & tamen alligari certo loco.* Prȩter operationes autem transeuntes in corpora, ſunt etiam immanentes, quales ſunt intelligere, ac velle, quas anima exercere poteſt etiam ſeparata, quæ ſunt eius maximè propriæ, maximeque vitales. Sed Danæus, ſiue dolo, ſiue inſcitia hȩc confundit, vt aliquid dicere contra Bellarminum videatur.

5. Deniqùe, & ſi in conſequentibus etiam capitibus, plurima mentitur Danæus, né nimis exquiſite mendacia eius quærere videar, ad cenſuram 2. partis libri 4. veniamus, quȩ quatuor omninò partibus continetur, quas ſingillatim inſpiciendas duxi. Prima comprehendit eas, quas vocat Danæus hæreſes Bellarmini. Ac de prima quidem hȩreſi, quod negare eum immortalitatem animæ docet, paulò antè diſputauimus. Tertiã hæreſim hanc eſſe dicit, quod dicere ait Bellarminum Chriſti animam ad ipſa Damnatorum hominum loca veniſſe, ibique ad tempus aliquod fuiſſe, & poſt ſuam etiam mortem aliquam pœnam tuliſſe, colum. 428. Vbi verſutè admodum coniungit id quod cap. 16. probabile eſſe putat Bellarminus, cum Auguſtino, Fulgentio, Cyrillo Hieroſolymitano, Emiſeno, atque Niſſeno, Chriſti animam deſcendiſſe realiter, & ſecundũ ſubſtantiam, non tantum per effectum, ad omnia inferni loca; vt damnatos etiam prȩſens infidelitatis argueret. Hoc inquam Bellarmini dictum callidè coniungit cum ſuo illo mendacio, quo affirmare Bellarminum ſcribit Chriſtum, poſt mortem, pœnam aliquam pertuliſſe, vt, qui minus docti ſunt, ſuſpicentur, ex Bellarmino Chriſti animam damnatorum hominum dolores in inferno paſſam eſſe. Caluiniana iſta blaſphemia eſt, quam aures Catholicæ ferre non poſſunt; quamuis magnoperè delectet Hȩreticos. Sunt quidẽ inter

Catholicos, qui pœnam, vel pœnalitatem aliquam fuisse dicunt, animam à corpore separatam manere: nam quemadmodum malum erat separari, ità etiam separatam esse malum quoddam est. Ità sunt qui dicant, morari, ac degere in inferno, ac loco subterraneo pœnam aliquam fuisse, non quod dolorem aliquem, aut anxietatem, ac molestiam, ex ea commoratione caperet; sed quod erat in loco minimè apposito, atque accommodato; at Damnatorum dolores passam esse Christi animam blasphemum, atque inauditum est Christianis. Porrò, quod ad Bellarminum spectat, né hoc quidem ipsum concedit, quod sancto Thomę, & Caietano, summis viris, non displicet. Sic enim post sancti Thomæ, & Caietani, numeratas opiniones scribit. *At Bonauentura in 3.d.22.q.4.dicit Christi animam, dum esset in inferno, fuisse in loco pœnæ, sed sine pœna. Cuius modus loquendi mihi videtur magis conformis Patribus. Itaque, & si, quod maneat anima separata à corpore, pœna, vel pœnalitas, vel potius minor perfectio dici possit; tamen mansionem animæ Christi in inferno, corporis in sepulchro, non auderem vocare pœnam, nec pœnalitatem. Nam illæ animæ pœnam trahunt in inferno, quæ ibi sunt, tanquam in carcere, nec possunt egredi quando volunt. At Christus fuit in inferno liber, & liberator aliorum, vt omnes Patres clamant: non autem vocatur pœna, si Rex inuisat carceres, vt aliquos liberet, sed vocatur dignatio, &c.* Vbi vides, quod, esse animam sinè corpore, docet potius dici minorem perfectioné, quam pœnalitatem, quod pœnalitatis nomen apposuit, vt pœnæ nomen temperaret. Est enim pœnalitas, non tam pœna, quam in eo, qui pœna affectus est, pœnæ ipsius effectus, atque vestigium, naturæ minimè congruens. At animæ minimè congruere secundum naturam suam, non modò separationem ipsam, verum etiam postquam separata fuerit esse sine corpore, clarissimum est: pœnalitatem ergò esse concedit; sed quia de Christi anima loquitur, eam ipsam vocem corrigit, ac mauult minorem animę perfectionem appellare. At verò, cum de descensu, & commoratione in inferno loquitur, omne, non modò pœnæ, sed affine etiam pœnę nomen penitus remouet, ac nihil in ea, nisi dignationem agnoscit. Quartam hæresim hanc numerat, *quod Paradisum*, inquit, *ac sinum Abrahami collocat in inferno, & loco subterraneo, col. 426. l. D. col. 429. l. A. §. fortasse etiam, in eo ipso, in quo sunt Diaboli loco, sed ab Abysso magna, distantia distincto.* Vbi primò mentitur, cum ait Paradisum, ac sinum Abrahæ in loco subterraneo collocari à Bellarmino: Nam sinũ Abrahæ locum subterraneum esse, Catholici omnes concedimus, atque

ex

ex Patribus,& ſcripturis fusè probat Bellarminus.cap.11.Paradiſum autem, ſi propriè loqui velimus, in cœlo collocamus. Ac ſinum quidem Abrahæ, tum cum Chriſtus præſens eum illuminauit, ac perfuſos lumine gloriæ iuſtos, beatitudine impertiuit, metaphoricè Paradiſum, dici potuiſſe concedit, cap.15.ad ſecundam obiectionem Durandi,§.reſpondeo primò, eo videlicet modo, quo locus, vbi Rex eſt,& dat iura aula dici poteſt, etiam ſi non ſit ipſa domus Regia. At Paradiſum abſolutè in loco ſubterraneo eſſe, vel fuiſſe, vir pius, & doctus, nunquam ſomniauit. Mentitur ſecundò, cum indicat Bellarminum in eam ſententiam propendere, vt velit lymbum,ſiuè ſinum Abrahæ, in eodem eſſe loco, cum Damnatorum, & Diaboli inferno; ſed ab Abyſſo magna, diſtantia diſtincto. Licet enim cap. 11. doceat inter iuſtorum, ac Damnatorum infernam ſedem,nihil intereſſe ſolidi,quod indicat vox græca, Χάσμα, quę hiatum ſignificat; tamen ipſemet ex Euangelio colligit, magno interuallo vtrorumque ſedes diſtare. Quare ex iis, quæ Bellarminus eo loco docet, non magis poteſt colligi, in eodem eſſe loco damnatorum, atque iuſtorum ſedem, quam poſſit colligi,aquam, & ignem eundem in vniuerſo locum obtinere; quia eodem cœli ambitu cōtinentur,neque inter ea corpora ſolidi quicquam intercedit. Altera cenſuræ huius Danaicæ pars, in eo poſita eſt, vt virum grauiſſimum,ac ſapientiſſimum nugacitatis accuſet, cuius cenſuræ ineptias,alio fortaſsè loco referemus; quod ad mendacia ſpectat, non nihil hîc eſt dicendum. Nugacitatis ergò Bellarminum arguit, quod, cum hæc ſententia de deſcenſu Chriſti ad inferos, huic fundamento innitatur, quod animę iuſtorum antè Chriſti mortem in cœlo non fuerint, idque ipſemet agnoſcat Bellarminus, hoc tamen ipſe, vel nulla ratione, vel admodum leuiter probauerit: *Ipſemet*, inquit, *agnoſcit,col.429.§.rationem. Non fuit opus, ait, deſcenſu Chriſti ad inferos,ſi animæ iuſtorum non erant in inferis; tamen hoc ſuæ ſententiæ fundamento prætermiſſo, vel leuiſſime confirmato,quoniam illud probare non potuit,ad curioſas illas de inferis, & animæ Chriſti ad eos deſcenſu, quæſtiones auidè decucurrit.* Quibus verbis, duo mendacia continentur, primum, quod ait præcipuum fundamentum, cur Catholici aſſeramus, atque credamus CHRISTI animam deſcendiſſe ad inferos, eſſe, quia animæ iuſtorum erant illic, quas liberari oportuit. Fundamentum noſtrum eſt, expreſſa reuelatio, quam habemus in Symbolo, & ſcripturis, quibus docemur

animam eius ad inferos descendisse, tam apertè, & manifestè, vt nisi verbo Dei fidem abrogare velimus, de veritate huius articuli dubitare non possimus. Quare etiam si nesciremus, quem ad finem illuc Dominus descendisset; tamen verum eius descensum, pia, & fideli humilitate crederemus. Fundamentum est, consensus veteris Ecclesiæ, quam, quia fuit vera Ecclesia, vel testibus aduersariis, scimus falli in intelligenda scriptura, atque articulis fidei explicandis non potuisse, quia columna est, & fundamentum veritatis, neque deseri ab eo spiritu potuit, qui mansurus apud eam in æternum illi promissus à Christo est. Nam de cætero, quis non videat, nisi veritatis huius reuelatio aliundè sciatur, non ex eo necessario effici, Christũ descendisse ad inferos, quia Iusti ibi detinebantur, cum potuerit, si ità collibitum esset, vel per Angelum eos indè liberare, vel nutu, ac voluntate sua educere. Quarè, cum illa Christi ad inferos profectio, dignationis fuerit, non necessitatis, aliundè sciri necesse est, eum accedere per se ipsum voluisse, vt vinctos suos eriperet. Neque verò, quia concedit non fuisse opus descensu Christi ad inferos, si animæ iustorum non erant in inferis, ideò Bellarminus agnoscit illud esse credendi huius articuli fundamentum, qui eum cap. 12. ac 13. ex scripturis, 14. ex Patrum consensu, & traditione probat. Alterum mendacium est, quod ait, hoc ipsum à Bellarmino, vel intactum planè relictum, vel leuiter probatum fuisse; cum id c. 11. quatuor scripturæ testimoniis valdè perspicuis probarit, confirmaritque suffragio Irenæi, Tertulliani, Origenis, vtriusq; Cyrilli, Hilarii, Basilii, Athanasii, Epiphanii, Ambrosii, Hieronymi, Primasii, Gregorii, Concilii Toletani quarti, ac deniquè Augustini, atque aliorum, quorum verba refert deindè cap. 14. qui omnes, Patrum apud inferos commorationem, & Christi ad eos descensum simul asserunt. Sed nimirum Hæreticis, infidelibus, neque scripturarum oracula, neque Patrum sacrosancta consensio, quicquam probant. Atque vt caput illud nugatorium à mendacio cœpit, ità etiam in mendacium desinit. Vbi de hac iustorum apud inferos detentione, deque iis rationibus loquens, quibus eam demonstrat Bellarminus. *Tertia ratio*, inquit, *est ex Patrum nonnullorum leuiter, & dubitanter hanc sententiam asserentium auctoritate; sed quod illi dubitanter, iste asseueranter, quod illi modeste, & deliberaturi dixerunt, iste quadam dictatoria potestate, ratum, ac firmum esse vult.* Quod Danæi mendacium non aliter redargui potest, quam Patrum ipsorum testimoniis prolatis, vt lector dispiciat dubitanter nè, ac deliberaturi hoc dixerint, an

poti-

potius quasi de re minimè dubia sint loquuti. Ego tribus aut quatuor ero contentus, ex iis, quæ refert Bellarminus, c. 14. quod caput, oro lectorem, vt legere ne grauetur. Concilium Toletanum quartum cap. I. *Descendit ad inferos, vt animas, quæ illic detinebantur erueret.* Thadæus Domini discipulus apud Eusebium lib. 1. hist. cap. vlt. *Descendit ad inferos, & disrupit maceriam, quam in sæculo nemo disruperat, qui descendit quidem solus, ascendit autem cum grandi multitudine.* Ignatius ad Trallianos, *Descendit ad infernum solus, regressus autem cum multitudine.* Origenes homil. 15. in Genes. *Vnigenitus Filius pro salute mundi vsque ad inferna descendit, & inde Protoplastum reuocauit. Quod enim dicit ad latronem: Hodie mecum eris in Paradiso, non hoc illi soli dictum, sed etiam omnibus sanctis dictum intellige, pro quibus in infera descendit.* Vbi hîc dubitatio? qua ratione rem hanc Patres deliberaturi dixerunt? ex quibus eorum verbis Danæus id colligit?

6. In tertio eius censuræ capite, (quod caput præter ineptias, ac mendacia Danæi nihil continet) contradictiones nescio quas obiicit Bellarmino. De prima, nihil dico, nam etsi mēdax est, dum omniscientiam, & effusionem attributorum Diuinitatis in humanitatem falsò tribuit Bellarmino, nonnihil tamen, ea de re supra disputauimus, vt scribere opus non sit in præsentia. In secunda ait, vbique tueri Bellarminum, necessarium fuisse descensum animæ Christi ad inferos, vt Piorum animæ ex iis locis liberarentur. Nunquam Bellarminus docuit, ita fuisse necessarium descensum Christi ad inferos, vt aliter eripi ex eo carcere non possent, quanquam docuit decorum, neque alienum à tanta Dei misericordia, ac dignatione fuisse. In tertia contradictione primò repetit id quod supra confutauimus. Bellarminum velle animas separatas esse in loco non posse, aitque docere Bellarminum, animam Christi simul & in Paradiso, cum latronis anima, & in inferno esse cum sanctis Patribus potuisse. Quod, etsi docet Bellarminus à Deo fieri potuisse; non tamen docet, aut factum esse, aut vi sua id animam Christi habere potuisse, vt esset in pluribus locis. Sed id tantum, eo loco, & verè, & Christianè affirmat, tam nobis esse debere certum, Christi animam verè ac realiter ad Inferos descendisse, quia id Scriptura, & Concilia, & Patres docent, vt si aliter explicari non possit, qua ratione verè fuerit & cum Patribus in Inferno, & cum latrone in Paradiso, dicendum nobis sit, in duobus simul locis fuisse. Ita capite 15. *Cùm Patres omnes*, inquit, *doceant* CHRISTI animam

nimam fuisse in Inferno in illo triduo, vbi erant cæteræ animæ, imò idipsum Scripturæ, & Concilia, & Symbolum testentur: id nullo modo negandum est homini Christiano, siue Paradisi vox accipiatur Metaphoricè, quod valde consentaneum est rationi, siue etiam propriè; nec enim Deo impoßibile erat efficere, vt CHRISTI *anima simul esset in duobus locis.* Id inter Danæi mendacia non numerarem, nisi ea, quæ subdidit, ostenderent id eum tribuere Bellarmino, quòd velit animam illam vi sua naturali in pluribus locis esse potuisse. Postquam enim dixit, ex Bellarmino animam CHRISTI post mortem pluribus in locis esse potuisse, idque pugnare cum eo, quod ait, animas cùm euolarint à corpore, nusquam esse. *Præterea*, inquit, *hoc ipsum pugnat cum alia huius sententia, qui censet, animam Christi, & cum latrone in Paradiso, & in Inferno simul, vt in loco esse non potuisse: sed fuisse in Inferno, quoad locum, fuisse in Paradiso, quoad effectum, colum. 426. lit. D. quoniam anima pluribus in locis simul esse non potest.* Vt autem hominis mendacium clariùs pateat, sic argumentor: Cùm Bellarminus affirmat, non posse simul animam esse in pluribus locis, & cùm idipsum negat, aut eodem modo Danæus vult accipi in vtraque propositione, aut aliter vult à Bellarmino accipi, cùm concedit; aliter cùm negat, animam in pluribus simul locis esse posse. Si non eodem modo vult accipi, cùm affirmatur, & cùm negatur, anima in pluribus locis esse posse, profectò nulla in iis enunciationibus contradictio est, sed mentitur Danæus, qui vt rudioribus fucum faciat, abusus opportunitate vocis æquiuocæ contradictionem latere ibi docet, vbi nulla est. Si posse in pluribus locis simul esse in vtraque propositione eodem modo intelligi vult: rursus quæro, velit ne intelligi de naturalibus viribus animæ, vt natura sua anima in pluribus locis esse posse affirmetur, ac negetur à Bellarmino? At id mendacium est, nam, vt iam antè notauimus, expresè ait Bellarminus, id DEO impossibile non fuisse. Sin autem vult hanc esse propositioni illi subiectam sententiam DEVM facere potuisse, vt anima simul esset in pluribus locis, atque idipsum alio loco à Bellarmino negari contendat, impudentissimum mendacium est; nusquam enim hoc in omnibus Bellarmini scriptis inuenietur, sed cùm affirmat, potuisse id fieri, loquitur de eo, quòd infinita DEI omnipotentia facere potuit; cùm autem negat, si quando negat, loquitur de eo quod naturaliter fieri potest, quodque fieri debuit, nisi

miracu-

miraculum DEVS addere voluisse dicatur. Vt si quis dicat, mortuos non posse viribus naturæ ad vitam reuocari, verum id est, neque tamen ideò verum non est, posse mortuos Diuina virtute excitari. In quarta contradictione, aut falsarius est, aut ineptus. *Lucæ 16. dicitur*, inquit, *anima Lazari in sinum Abrahami, sicut in locum non inferiorem, sed superiorem, ab Angelis beatis, qui non sunt ab Inferis, asportata, versic. 22. & cùm diues dicitur vidisse Lazarum, scribitur sustulisse in altum, & cœlum oculos, non autem eos in imum deiecisse, versic. 23.* Quæ si ipse colligit ex Scripturis, ineptus est, si apertè ibi contineri contendit, falsarius est. Vbi enim legit in Euangelio Lucæ, animam Lazari deductam in sinum Abrahæ, tanquam in locum superiorem? At Angeli, desursum, non deorsum sunt, inquit. Qualis verò ista consequutio est, Angeli desursum sunt, ergo descendere ad locum inferiorem, vt illuc animam viri pij deducerent, non potuerunt? Illud item, in quo Euangelio legit, diuitem in cœlum oculos substulisse, vt Lazarum illic aspiceret? Nam, nisi, si quod fortè Geneuæ recens Euangelium secundùm Caluinum, aut Bezam excusum est, in Euangelio Lucæ, quod Christiani legunt, nihil eiusmodi scriptum est. Ex eo id fortè colligit, quòd eleuasse oculos diues dicitur. At quod genus argumentationis istud est, eleuauit oculos ergo in cœlum? Quid si tu è via tollas oculos, vt amicum videas, qui te è fenestra compellat, in cœlum ne illico sustulisti? aut quia oculos eleuas amicus, quem vides in cœlo est? Quid verò, si quis vrgere Danæum argumento Caluini sui voluerit, quo ille aduersus sanctorum inuocationem vsus est, tam ne longas aures habuerit, non beatus modò Abraham, sed damnatus etiam diues, vt audire inuicem possent, tanto locorum interuallo disiuncti? Aut tam firma, atque adeò ferrea latera, vt vocem ita possent contendere, vt ab ima terra, ad extimum vsque cœlum, exaudiretur? aut tam lynceos, ac perspicaces oculos, vt non modò tam longè dissiti, sed per interiectam etiam terram videre, atque adeò agnoscere alter alterum posset? Hoc, inquam, si quis Danæo obiecerit, quid tandem responsurus est, quo vel suam, vel Caluini Euangelistæ sui causam non prodat? In quinta contradictione duo sunt insignia mendacia. Alterum, quod docere Bellarminum ait, Christum beatificasse animas omnium iustorũ, cùm dixit latroni, Hodie mecũ eris in Paradiso. Quod Bellarminus nunquam dixit, quanquam cum

cum Origene docuit, id, quod latroni pendens è cruce Dominus dixerat: Hodie mecum eris in Paradiso; de omnibus item iustis dictum fuisse; quos eodem die beatos reddidit. Nam postquam mortuus est, statim contendit ad Inferos, ibique infuso lumine gloriæ, Diuinitatis suæ iustis visionem impertiuit. Neque enim vlla erat causa, cur, cùm beatitudinem latroni eo die largiretur, aliis denegaret, qui aduentum eius tanto tempore exspectarant. Ita cap. 16. §. tertium dubium, quærit, quid contulerit animabus iustorum descensus Christi ad Inferos. *Respondeo*, inquit, *cum communi Catholicorũ sententia, duo magna bona eis contulisse Christum, primò beatitudinem essentialem; secundò eductionem ex eo carcere; quorum primum continuò illis præstitit: secundum autem non diu postea De primo habemus testimonium illud Eccles. 24. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, illuminabo omnes sperantes in Domino. Item illud Luc. 23. Hodie mecum eris in Paradiso; quod verbum, inquit* Orig. *hom. 15. in* Genes. *non solùm latroni, sed etiam omnibus iustis dictum fuit.* Alterum mendacium est, quod ait, dicere Bellarminum nõ prius iustorũ animas à Christo redditas fuisse beatas, quàm descendisset præsentia corporali ad inferos. At, qui fieri potuit, vt p̃sentia corporali ad inferos descenderet, cùm nonnisi post mortem anima eius descenderit, quo tẽpore corpus nõ habuit quod inferret in infernũ? quo loco, quibus verbis hoc Bellarminus vnquã scripsit? Quartum deniq; censuræ illius caput maledicentiæ Bellarminũ accersit. In quo, vt mentiendi artificio inprimis præstat, paucis verbis multa mendacia Danæus cõplectitur: *Thomam*, inquit, *& Durandum & Bonauenturam suos præceptores, conuitiis incessit cap. 15. & Augustinum penè vbiq; , sed præsertim cap. 16.* Atqui c. 15. Durandum reprehẽdit quidem, quòd tam leuibus cõiecturis negare ausus sit: necessariò credendũ esse, Christum ad inferos, secundùm substantiam descendisse. Aitq; ineptum esse, propter nescio quas argutias, in dubiũ reuocare mysteria fidei, sed nullum præterea verbũ, paulò grauiùs aut contumeliosiùs in eũ scripsit. Sanctum Bonauenturã in eo capite ne nominat quidẽ; sanctum verò Thomã, non, nisi honorificè appellat. Cap. aũt 16. Bonauenturæ sententiam præ cæteris probat, in S. Thomam, etsi interdum confutat eius sententiam, quia de rebus eo loco disputat, quæ in libera Scholasticorum opinione sunt positæ, tamen ne verbum quidem scripsit, non plenum venerationis. Porrò quod ad B. Augustinum spectat, quem vbiq; incessi conuitiis à Bellarmino blaterat, præsertim c. 16. vbiq; mentitur Danæus, præsertim verò in

verò in ea re. Nam dubio 3. proponit Augustini locum difficilem ex Epistola 99. vbi docere videtur Augustinus, animas Piorum, ante fuisse Beatas, quam ad inferos Christus descenderet, eumque ita explicat, vt non nisi honorifice, vt par erat, de tanto viro loquatur. Quare quattuor, aut tria minimum mendacia Danæus scribit eo loco, dum Sanctos Augustinum, Thomam, ac Bonauenturam contumeliosè acceptos à Bellarmino scribit. Nam quod ad Durandum attinet, & si conuiciis non afficit; quia tamen, vt res, ac locus postulabat, hominem acriter reprehendit, condonetur sanè Danæo suum mendacium.

7. Quæ quinto libro mentitur Danæus aduersus Bellarminum, multo parcius, ac minus persequar accuratè. Nam, si quis ea legerit, quæ vel superioribus capitibus, ex prima controuersia, vel hoc ipso capite, ex quarto secundæ controuersiæ libro numerata sunt exploratum iam habebit opinor, quam nihil minus in suo hoc opere laboret, quam vt serio, vereq; respondeat. Et hæc non aliam ob causam subiiciuntur, nisi ne quis forte suspicetur in hoc quinto secundæ controuersiæ libro, si is omitteretur dissimilem sui Danæum esse voluisse. Ad caput ergo quartum initio. *Primum omnium,* inquit, *falsum est illud, quod tanquam immotum suæ sententiæ fundamentum ponit; magna certè fallacia, quæ vocatur petitio principij, Bellarmin⁹, nempe col. 436. l. D. Non potest vnus & idem sacrificium offerre, & accipere;* quod falsum esse ostendit deinde Danæus, ex Augustino. *Contra,* inquit, *Augustinus lib. 10. cap. 20. de ciuitate Dei. In forma Dei, inquit, sacrificium cum Patre sumit Christus, qui idem in forma Dei sacrificium fuit.* Quibus Danæus indicat negari à Bellarmino, posse vnam; eandemque personam ratione diuersarum naturarum offerre, & accipere sacrificium. At primo falsarius est Danæus, qui verba Bellarmini detruncat, Bellar. enim c. 4. §. hic Cyrillus, sic scribit. *Non potest vnus, & idem, vt idem, sacrificium offerre, & accipere.* Sed egregius verbi Caluiniani minister, ac buccinator sustulit eam particulam, vt idem; atq; ita ex vera propositione falsam reddidit. Ad quod, vt cumulatius mendacium esset, illud etiam addidit, quod cum Bellarminus eo capite euertat hæresim Caluini, qui defendit, Christum, qua Deus est, sacrificium, & obtulisse, & acceptasse, quam hæresim Danæus item tuetur; tamen, ita contra Bellarminum argumentatur, ac si negaret eandem personam, posse ratione naturæ humanæ offerre, ratione diuinæ accipere sacrificium à se ipsa. Atqui Catholici omnes agno-

scimus, ac fatemur, & Bellarminus ipse conceptis verbis docet eodem illo loco, ratione diuersarum naturarum posse eandem personam vtrumque præstare. *Sacrificium*, inquit, *accepit vt Deus: ergo non offert, vt Deus; offert igitur tantùm vt homo.* Huic est illud persimile, quod ad caput 5. scribit, cùm respondet ad 2. Bellarmini rationem. *Iste*, inquit, *vt mortuum D. Iosiam Simlerum arroderet; pro eo quod ex Simleri verbis & sententia dicere debuit; Christus, vt homo mediator est apud seipsum, vt Deus, malitiosè dixit, scripsitque, tanquam ex pij illius viri ore, Christus est sui ipsius mediator. Nec enim Christus, etiam qua homo, est mediator sui ipsius, vtpote qui, qua homo, fuerit sine peccato: sed est, qua homo, mediator apud se ipsum, qua Deus est.* Quibus verbis duo mendacia comprehendit Danæus. Alterum, quòd Simlero Caluiniano homini Catholicam sententiam tribuit, vt eum, seq; ipsum laqueis exsoluat apertissimæ demonstrationis. Alterum, quod ipsa etiam Bellarmini verba, in alium sensum detorquet, vt illi calumniam faciat. Et quod quidem ad primum mendacium attinet, vel Danæi confessione constat, velle Caluinistas Christum, qua Deus est, non tantùm qua homo, sacrificium offerre, ac mediatorem esse, eamque cap. 3. Caluini, Simleri, Melanchthonis, Tigurinorum, Petri Martyris, Kemnitij, sententiam esse ex eorum scriptis demonstrauit Bellarminus: eam ergo hæresim aut phrenesim potius, quam cap. 3. ex Scripturis, cap. 4. ex Patribus confutarat, cap. 5. rationibus euertit vir doctissimus. Eius capitis secunda ratio ea est. Si Christus est mediator secundùm vtramque naturam, vel secundùm vtramq; coniunctim sumptam, vel secundùm vtramque seorsim acceptam. Non secundùm vtramque simul; Christus enim secundùm vtramque simul sumptam, distat quidem à cæteris hominibus, & etiam à Deo Patre, & Spiritu sancto, at non distat à Deo filio, nec persona, nec natura, & tamen etiam ab illo distare debet, cùm & ipse sit pars offensa, ad cuius placationem mediatore opus sit. Huic porrò rationi, si responsionem eam aptare coneris, quam Danæus, & ipse probat, & Simlero tribuit, profectò nihil efficies, nisi vt risum moueas. Fac enim ita. Christus secundùm vtramque naturam est mediator, quia etsi etiam ipse est pars offensa, cui satisfieri debeat; tamen vt homo est mediator apud se ipsum, vt Deum, quàm hæc aptè cohærent? aut qua ratione est mediator secundùm vtramq; naturam, si tantùm vt homo agit apud seipsum vt Deum? Quod si etiam vt Deus obit munus placandi partem offensam, cùm ipse etiam, vt

Deus

Deus sit pars offensa, erit etiam vt Deus mediator apud seipsum, vt Deum. Aut ergo præuaricatur Danæus, & Simlerus, ac desertis Caluini castris, resipiscunt; aut ea est Simleri responsio, quam Bellarminus affert; cuius, quanta sit absurditas, illud argumento esse potest, quòd eius, etiam Danæum depuduit. Alterum porrò mendacium, in eo positum est, quòd cùm Bellarminus esse mediatorem suiipsius, pro eodem acceperit, atq; esse mediatorem apud seipsum. Danæus ita interpretatus est, ac si significaret, esse mediatorem pro seipso, quasi mediatore indigeret, vt accedere posset ad Deum is, qui accedit per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis: quod manifestum mendacium est. Vel enim Bellarminum ita interpretatur, quia ea phrasis hoc natura sua significat. Ad id dici non potest, nam 1. ad Timoth. 2. dicitur, Christus mediator Dei, & hominum; quo loco, non ita futurum insanum Danæum existimo, vt velit vocari Christum mediatorem pro Deo; quare, cùm idem sit mediator Dei, & hominum, quod, mediator apud Deum pro hominibus, non ea vis subest huic modo loquendi, vt cùm quis dicitur mediator alicuius, necessariò significet mediatorem pro illo: Vel ita interpretatur, quia textus ipse sermonis hoc exigat. At neq; ea, quæ præcedunt, neq; ea, quæ consequuntur, hanc eius vocis significationem postulant. Nihil enim ante ea verba scripsit Bellarminus, ex quo verborum eorum significatio pendere vlla ratione possit, nisi secundã suam contra Caluini Eutychianismũ demonstrationem, quòd cùm Dei filius, vt Deus, à parte offensa, neq; natura, neq; p̃sona distet, apud semetipsum, qua Deus est, mediator esse non potest. Ex qua ratione, si verborum illorum sentẽtiam metiri velis, manifestè apparet, idem significare, mediatorẽ sui, ac si dixisset, mediatorẽ apud seipsum. Consequentia verò verba hęc planè sunt post allatam secundam illam rationem. *Nec valet*, inquit, *responsio Iosiæ, qui dicit, Christum vt Deum esse mediatorẽ suiipsius. Nam est quidem Christus vt homo mediator suiipsius, vt Deus est: at ipsum vnum, & eundem, vt Deus est, mediatorem esse suiipsius, vt Deus est, inuoluit apertißimam contradictionem. Sequitur enim, Christum à se ipso distare, & non distare, eadẽ ratione & modo consideratum.* Quod in his omnibus verbum, q̃ vox, q̃ syllaba, q̃s apex, q̃ hanc Danęi insanam interpretationẽ, nõ dicã exigat, sed vlla ratione patiatur? Quis adeò amẽs ac furiosus sit, qui nõ intelligat, cùm sermo sit de Deo atq; hoĩe, in quo nullum planè peccatum esse potuit, quæraturque, vtrum qua Deus est,

mediator apud se ipsum, vt Deum, esse potuerit: nihil aliud significari, cum mediator sui ipsius Christus fuisse dicitur, quam si diceretur mediator apud se ipsum? Ad cap. 6. quo Hæreticorum argumenta dissoluit Bellarminus; tribuit illi Danæus, quod vim, ac potestatem resurgendi à mortuis velit esse humanæ naturæ. *Dicimus*, inquit, *potestatem eam, & virtutem, per quam Christus potuit mori, & resurgere, emanare ex eo, quod idem hic, qui animam habebat, erat, & est quoq; Deus. Ioan. 10. v. 18. Bellarminus autẽ ait esse humanæ naturæ.* At Bellarminus ita scribit. *Obiiciunt primo verba illa Domini Io. 8. Ego pono animam meam; hoc, inquit Caluinus in Epistola ad Polonos, mediator dicit; nec tamen dicit vt homo, sed vt Deus; non enim habet arbitrium vitæ, & mortis, nisi Deus. Respondeo, ponere animam, non esse Dei, sed hominis, quamuis potestas ponendi illam, & recipiendi ad libitum, sit à Deo data ipsi homini, nam ponere animam, quid aliud est, quam mori? & resumere animã, quid aliud est quam resurgere? mori autem, & resurgere, certè hominis est non Dei; & sic exponunt hæc verba S. Patres.* Vides, quam impudenter mentiatur Danæus, qui ait humanæ naturæ tribui à Bellarmino virtutem moriendi, ac resurgendi; cum ille expresse doceat potestatẽ ponendi, ac recipiendi animam à Deo datam esse homini? In confutatione responsionis ad tertiũ Hæreticorum argumentum, Bellarmino similem errorẽ tribuit. *Thomæ suo*, inquit, *contradicit, qui in tertia secundæ q. 57. a. 2. sic diserte scribit. Christus, ex virtute diuinitatis in cœlum ascendit, non ex virtute humanæ naturæ, quod etiam testatur Augustin⁹ in sermone de ascensione, 176. in sermonib. de tempore. Bellarminus tamen aperte negat.* Quod mendacium nihilo est superiore, tolerabilius. Sic enim Bellarminus. *Verè Iesus Pontifex summus, qui penetrauit cœlos, quiq; sine Patre, & sine matre est, & simul Patrem habet, & matrem, Deus est; sed non qua Deus est, penetrauit cœlos, nec qua homo est, caret matre, aut Patrem habet; ac deniq; non qua Deus est Pontifex est. Nam virtus quidem, qua penetrauit cœlos à Deo erat: tamen ipsum penetrare cœlos, cum sit loco moueri, non potest Christo secundum formam Dei, quæ immutabilis est, sed solum secundum formam hominis conuenire.* Negat ne igitur Bellarminus virtutem, qua Christus ascendit in cœlum, illi, qua Deus est, conuenire; an potius, vt rudioribus imponat, mentitur Danæus?

8. Subiiciam nonnulla ex iis, quæ ad caput decimum, mentitur; atq; ita finem faciam huic, tot mendaciorum enumerationi. Capite ergo decimo Bellarminus Caluini argumenta dissoluit, quibus probare nititur, Christum sibi nihil planè meruisse. Quas Bellarmini solutio-

ſolutiones, vt euertere videatur Danæus, implet omnia mendaciis. *Prima ſolutio Bellarmini*, inquit, *nihili eſt: nam loquitur Caluinus de perſona Chriſti, quam negat habuiſſe neceſſe, vt ſibi aliquid mereretur: Bellarminus agit de natura Chriſti diuina, quæ deſcendit, & formam ſerui accepit.* Quibus verbis, & hæreſis etiam à Caluinianis aliena, & mendacium continetur. Mendacium, quia tam Caluinus, quam Bellarminus loquuntur de perſona, quæ deſcendit, vt eſt in ea forma, qua deſcendit. Sic enim argumentatur Caluinus. Quid opus fuit, deſcendere vnicum filium Dei, vt ſibi aliquid acquireret? quæ dici de perſona Filij Dei, prout deſcendit, manifeſtius eſt, quam, vt probatione vlla egeat. Porro, prout deſcendit, in forma Dei, non in forma ſerui eum fuiſſe; illud ſatis demonſtrat, quod deſcendere filium Dei, nihil aliud fuit, quam incarnari, ac ſerui formam aſſumere; non eſt autem incarnatus, aut aſſumpſit formam ſerui, niſi prout erat in forma Dei; quare deſcendit filius Dei, vt erat in forma Dei. Loquitur ergo Caluinus, de filio Dei, vt erat in forma Dei. Iam verò, de filio Dei, vt eſt in forma Dei, Bellarminum reſpondere, ipſa eius verba fidem faciunt. *Reſpondeo*, inquit, *non eguiſſe Filium Dei vlla re, nec deſcendiſſe vt ſibi aliquid acquireret, nam qui deſcendit Deus fuit, non homo: imò hoc ipſum deſcendere, fuit hominem fieri, & ſe ipſum exinanire. At poſtquam deſcenderat, & formam ſerui acceperat, aliquid ſibi acquiſiuit in ea forma, quam aſſumpſerat, non in ea, qua deſcenderat.* Vbi vides, diſtingui in Chriſto perſonam, quæ deſcendit, formam, in qua deſcendit, & formam, quam aſſumpſit, cum deſcendit: atq; id vnum tradi, perſonam Filij Dei nulla re eguiſſe in natura diuina; poſtquam tamen incarnata eſt, eguiſſe in natura aſſumpta. Hæreſis verò Danæi in eo poſita eſt, quod ait, naturam diuinam deſcendiſſe, ac formam ſerui accepiſſe, hoc eſt incarnatam fuiſſe. At Caluinus, etiam ipſe concedit, non naturam, ſed perſonam incarnatam fuiſſe. Si enim natura humana, ad naturam diuinam aſſumpta fuiſſet, neq; minus Pater, ac Spiritus S. quam verbum ipſum naturam humanam aſſumpſiſſent; & quemadmodum, quia ad perſonam aſſumpta eſt natura humana, Chriſtus eſt vna perſona in duabus naturis ſubſiſtens; ita eſſet ex duabus naturis vna natura: quod ne Caluinianæ quidem, nedum Chriſtianæ aures ferunt. Pergit Danæus. *Reſponſio Bellarmini*, inquit, *ad ſui ipſius obiectionem, primum ſuis omnibus aduerſatur: nam Chriſtus ab omnibus ſtatuitur fuiſſe in his terris comprehenſor; ergò non fuit in via merendi; quod enim addunt eundem fuiſſe quoque viatorem, eſt prorſus*

ἀσύςατον. Quo loco hominis, vt leuissimè dicam, acumen desidero. Ita. n. mentitur, vt mẽtiri se fateatur, ac paucis verbis, quod ait, idem inficietur. Si enim omnes Christum ita fuisse comprehensorem dicunt, vt iidem viatorem etiam fuisse velint; qua ratione Bellarminus omnibus aduersatur, quia mereri eum potuisse, h. e. viatorem fuisse confirmat? Aut qualis est, vel vnde ista repentè prodiit tam inaudita Dialectica. Dicũt omnes, Christum & viatorem & comprehensorẽ fuisse. Bellarminus hoc loco ita viatorem eum fuisse dicit, vt nõ neget, eundem fuisse comprehensorem; at comprehensorem & viatorem simul esse ἀσύςατον & ἀδύνατον est: ergo Bellarminus omnibus aduersatur? Sed audiamus reliqua. *Bellarminus*, inquit, *se ipsum euertit, nam scribit hic, animam Christi sibi acquisiuisse gloriam per actus repetitos & peractos in corpore, at supra contendebat, gloriã animæ Christi ex ipsius vnione hypostatica cum λόγῳ profluxisse.* Quibus verbis duo mendacia comprehendit. Alterum, quod docere ait Bellarminũ hoc loco, animæ suæ gloriam sibi Christum acquisiuisse. Alterum, quod eius gloriæ meritũ, sibi acquisisse Christum per actus repetitos docet ex Bellarmini sententia. Quasi verò existimet Bellarminus, nõ satis fuisse vnum aliquem Christi actum, quem docet propter personæ dignitatem infiniti pretij fuisse, ad quodcunq; & quantumcunq; bonum sibi satis ac super promerendum. Obiicit sibi Bellarminus, nõ videri gloriam corporis, sub meritum cadere potuisse, quia, cùm per se consequatur gloriam animę videtur accessorium quippiam, & accessorium nõ cadit sub meritum; eam aũt obiectionem ita dissoluit. Gloriam corporis non esse planè accessoriam, quæq; necessariò natura sua gloriam animæ consequatur; quare cadere posse sub meritum. Quod, vt explicet, docet cum S. Thoma, 3. p. q. 19. a. 3. ad 3. vnde habeant animæ beatorũ, vt gloriam suam transfundant in corpora. Nam hoc explicato, satis apparet, gloriam corporis esse secũdarium quoddam præmium beatorũ, ac proinde sub meritum posse cadere; quamobrẽ nihil impedire, quominus mereri eam Christus potuerit sibi, licet gloriam animæ non sit meritus, sed vi vnionis hypostaticę, ab ipso conceptionis articulo consequutus. *Respondeo*, inquit Bellarminus, *in primis, gloriam corporis non videri absolutè accessoriam; nam sequitur ex gloria animæ secundùm Dei determinationem, & meritorum congruentiam. Deus enim voluit, vt gloria animæ redundaret in corpus, quia gloria animæ acquiritur per actus animæ, qui in corpore exercentur, & ideò tam gloria animæ, quàm gloria corporis cadit sub meritũ.* Vbi hîc

actus,

actus illi repetiti? vbi gloria animæ, quã sibi Christus acquisiuit per actus suos? Denique, quia Bellarminus addidit, etiamsi concederemus gloriã corporis naturaliter, & per se sequi ex animæ gloria, atq; accessorium quiddam esse; non ideò necessariò effici, eam sub meritum cadere non potuisse; quia quod est vno titulo debitum, potest nouo titulo deberi; quare gloria corporis, quæ esset debita, vt animæ gloriam cõsequens, posset etiam ex merito bonorũ operum deberi. Hoc, inquam, quia subiecit Bellarminus, satis aptam mentiendi occasionem nactum se esse ratus Danæus. *Idem hic*, inquit, *suis repugnat omnibus, qui cùm gloriam corporis Christi fateatur esse debitã, & consequi ex vnione hypostatica naturæ humanæ, cum diuina, eam sub meritũ tamen cadere vult, contra omnes. Negant enim illud cadere sub meritum, quod est ex alio consequens*. Quibus verbis bis mentitur; semel, quia ait Bellarminum fateri, gloriam corporis esse debitam, & consequi ex vnione hypostatica. Quod Bellarminus ita absolutè nõ dixit, sed primò negauit consequi naturaliter, & esse accessoriam. Deinde subdidit, etiamsi id ita esse concedatur; nõ impedire tamen, quo minus potuerit sub meritum cadere. *Deinde*, inquit, *quid prohibet id, quod accessorium est, cadere sub meritum? etsi enim iam debitum est ratione eius cui accedit; tamen potest etiam sub meritum cadere, vt alio quodam titulo debeatur. Quare licèt fateamur, debitam fuisse Christo gloriam corporis, etiamsi pro ea non laborasset; tamen, quia quod debetur vno modo, potest deberi etiam alio modo, voluit Deus, vt gloria corporis deberetur Christo, etiã iure præmij ac mercedis*. Ita, quod Bellarminus primò negauit, deinde pmisit aduersario, vt intelligeret, ne eo quidẽ admisso, quicq̃ cõtra veritatẽ effici, id Danæus absolutè tribuit Bellarmino. Iterũ mentitur, cùm ait, Bellarminũ ea in re scholasticis omnibus aduersari; quanq̃ enim consentiunt fere Scholastici, id quod ex alio necessariò sequitur, qua consequens ex alio est sub meritum omnino non cadere; non tamen negãt alio modo, ac titulo deberi posse. Neque quisquam fortè inuenietur Catholicus, qui neget, posse vnam, eandemque rem deberi pluribus titulis; quare licet accessorium vno titulo debeatur, quia accedit ad principale, quod vel habetur jam, vel certè debetur; nihil tamen prohibet, quominus alio etiam titulo mercedis, ac præmij postea debeatur. In confutatione responsionis, ad secundum argumentum Caluini omitto reliqua; illud non dissimulo, quod impudentissimè scribit docere Bellarminum, peccatum Adami non fuisse veram causam passionis Christi, sed causam dumtaxat, sine qua non. At Bellarminus dicit

quidem


quidem, fuisse causam sine qua Christus passus non fuisset; vtrum autem fuerit vera causa, an vero causa dumtaxat sine qua non, non disputat, quia ad soluendum Caluini argumentum parum intererat. Neq; enim moris est, in nostris Catholicorum Scholis, neq; nostra nos Dialectica docet quæstiones miscere, ac sine necessitate aliunde arcessere. Sed hic mentiendi finis Danæo non est. Nam, vt imperitiam, & mendacitatem suam simul ostendat: in confutatione responsionis, ad tertium Caluini argumentum hæc scribit. *Quod addit iste, Christum per alios actus sibi gloriam corporis, &c. mereri potuisse; confutatur primum ab isto, qui col. 445. l. C. vult, traditq; Christum, per mortem crucis sibi illam gloriam fuisse meritum. Deinde ab aliis omnibus sententiariis, qui ex Philipp. 2. v. 9. 10. idem, & si tamen imperitè colligunt, nempe Christum ex sola morte, sibi gloriam acquisisse.* Hæc Danæus, & mendaciter, & inepte. Qua enim ratione Bellarminus, quia dicit, potuisse Christum sibi per alios actus, nominis exaltationem, & gloriam corporis promereri, aut secum ipse, aut cum sententiariis pugnat? Docuit supra Bellarminus, vel Danæo teste, docent Scholastici, sibi morte sua Christum gloriam corporis, ac nominis exaltationem fuisse promeritum; ergo alia ratione non potuit promereri? Egregiè. Luto oculos cœci nati aperuisse ab Euangelista Christus narratur, ergo alia ratione aperire nō potuit? Negabit, opinor, consequutionem Danæus: at viderit ipse postea, qua ratione suam illam ipse tueatur, cum eadem planè sit vtriusq; argumentationis ratio. Hoc ineptè, illud mendaciter, quod Scholasticos omnes ait docere, Christum ex sola morte sibi gloriam acquisisse. Consentiunt quidem omnes, ex morte sibi acquisisse gloriam corporis, &c. id quod Paulus Apostolus diserte docet ad Philipp. 2. (quanquam detorquere Apostoli verba nituntur Hæretici, vt eam Christo gloriam denegent) sed ex sola morte acquisisse, neq; eam aliis etiam actibus fuisse promeritum, non docent; cum ab instanti conceptionis suæ, sibi ea omnia meritum constanter affirment. Ita Lombardus lib. 3. d. 18. postquam cap. 1. docuit, Christum per mortem, ac passionem suam hæc sibi meruisse. cap. 2. ita auspicatur. *Nec solum meruit Christus, quando Patri obediens crucem subiit, sed etiam ab ipsa conceptione, ex quo homo factus est per charitatem, & iustitiam, aliasque virtutes, in quarum plenitudine fuit secundum hominem conditus, sibi tantum meruit, quantum post Martyrij tolerantiam.* Hæc Lombardus, quem sententiarij, vt ait Danæus, Magistrum sequuntur. Quam ergo gloriam, Christus sibi

multis

multis actibus ita promeruit, vt singuli ad eius acquisitionem sufficerent, eam in primis scriptura tribuit prestantissimis actibus humilitatis, & obedientiæ.

Sed me tam molestæ huius mendaciorum enumerationis iam dudum tædium cœpit; vt finem imponere necesse sit, ne & meo, & Lectorum otio abuti velle videar. Certè neminem futurum existimo, qui hæc legerit, quanuis à nobis sit, atq; ab Ecclesia Catholica alienus; qui Lamberti Danæi libros scatere mendaciis non intelligat; etiam si plurima prætermissa sint, neglecta alia, quædam vix indicata. Vtinam vero inducant in animum, ij, qui fidem his nouatoribus habent, vt ceterorum Geneuensis, atq; Saxonici Euangelij ministrorũ scripta exigant ad normam veritatis, ac diligenti collatione cum nostris, examinent: intelligent profecto non posse eos, Spiritu veritatis afflari, qui scripta sua mendaciis farciunt, vt somnia, quæ Domino, ac verbo eius impiè tribuunt, probare multitudini possint: simplex est enim, & candida veritas: atque ad commendationem sui, sibi ipsa satis. Denique male tuta est ea causa, quæ falsitatis patrocinio defenditur. Neque mendaciis nostris indiget verbum veritatis.





ANDREÆ EVDÆMONIOANNIS CYDONII E SOCIETATE IESV CASTIGATIONIS LAMBERTI DANÆI liber posterior.

Danæi in Christum & Sanctos blasphemiæ.

CAPVT. I.



VLLVM maius bacchantis in hoc Danæi volumine, & veluti in Regno suo dominantis Satanæ indicium est; quam quod tam contumeliosè, & impiè in Sanctos, atque ipsum adeò Sanctorum omnium Principem Christum Dominum sese gerit. Cui enim dubium esse potest, quin ad partem, atq; hæreditatem Satanæ spectet is, qui se à Christi, sanctorumq; societate diuulserit? aut quæ potest illi esse cum Christo, Sanctisq; societas, qui in eos impie contumeliis sæuiat? Præclaram verò laudem Euangelij Geneuensis, quod Christo, ac Sanctis eius bellum indixit; quod fraude stat, mendacio nititur, impietate confirmatur. Qualis ista est tam prodigiosa veritas, cui mendacium militat? qualis fides, quæ se fraude tutatur? qualis religio, cui patrocinatur impietas? sua videlicet cœlo reuerentia periret, nisi cœlites maledictis incesserentur; non staret sua Christo gloria sine blasphemiis. Et tamen hæc monstra, verius quam homines, sunt qui audiant: & quos adsciscunt sibi religionis Magistros, eorum non attendunt de sua religione iudicium. Quis enim tam est hebes,

hebes, qui non videat quid de religione sua iudicent ij, qui eam aut sine mendacio stare, aut sine impietate defendi posse desperant? Sed nos quod instat agamus, atq; Danæi impietatem, obsignatis, (vt aiunt) tabulis reuincamus.

1. Libro primo controu. 1. in iis quæ ad caput 13. & 14. scribit, non longe ab initio; hoc iis Patribus tribuit, qui à Bellarmino iis capitibus, pro libris Ecclesiastici, & Sapientiæ proferuntur, quod ad tuendam suam sententiam hos libros canonicos appellarint. *Est, inquit, paralogismus hic quoq; à non causa, pro causa, item à non consequente; nec enim sequitur, vt si nonnulli ex Patribus, ad tuendam suam sententiam, hos libros canonicos appellarint; isti libri propterea canonici euaserint.* Vult ergò Danæus hos Patres, nobis eos libros, quos non canonicos esse scirent, tuendæ sententiæ suæ causa pro canonicis vendidisse. Nam si canonicos esse crediderunt, non ideo canonicos appellarunt, vt sententiam suam tuerentur; sed quod diuinos eos esse existimarunt. At profectò ingens hoc sacrilegium, & fraus intolerabilis fuisset. Primo, quod diuinam auctoritatem libris humano Spiritu conditis tribuissent: deinde quia placita illa, atq; sententias, quas eorũ librorũ testimonio cõprobassent, nobis pro fidei Christianæ articulis intrusissent. (Quod enim diuinorũ librorũ affirmat auctoritas, id sine dubio, diuina fide credendũ est.) cum tamẽ ipsi scirent non nisi humana id auctoritate niti; quod ab iis libris hausissent. Sed libet hic à Danęo percontari, tuendi ne Caluiniani alicuius placiti causa, id ipse facturus aliquãdo fuerit, si res, & opportunitas postulasset. Si abnuerit, malè profectò de Patribus, impius & ingratus filius sentit, qui quod ipse scelus admissurum se fuisse neget, id illis tribuat. At quibus per Deum, Patribus? Dionysio Areopagitæ, Cypriano, Cyrillo Alexandrino, Augustino, Ambrosio, Clementi Alexandrino, Epiphanio, Basilio, Hieronymo, Gregorio: horũ enim omniũ iis capitib. testimonio probat Bellarminus, eos libros esse canonicos. Sin autẽ, non vsq; adeo abhorrere se ab eo facinore dixerit Danęus, vt si res exigat facturus non sit; viderint, qui eius scripta legunt, quantã ei fidẽ habere debeant qui libros etiam nõ diuinos, pro diuinis, & canonicis, suppositurũ se fateatᷓ, vt causę suę prosit. Quod si sacrilegiũ esse credit, sceleratissimus est, q contaminare se sacrilegio non dubitet, vt id tueatur, quod semel dixerit. Si verò admitti id sine scelere posse credit, hoc ipso nomine sacrilegus est, & blasphem⁹. Si enim ei, qui ad scripturarum oracula addiderit aliquid, tam tremendum imminet Dei

iudicium; ei qui libros integros ad canonem scripturarũ addiderit, atq; hanc Spiritui Dei contumeliam fecerit, vt ei tribuat humanæ sapientiæ verba, quid tandem existimamus futurum?

2. Neque verò in Patres multo magis est, aut religiosus, aut pius. lib. 2. ad cap. decimum, quo capite probat Bellarminus vulgatam editionem sacræ scripturæ Latinam, autenticam haberi in Ecclesia debere, auctoritate Augustini, Gregorij, Cassiodori, Bernardi, Anselmi, Rabani, Ruperti, Haymonis, Hugonis, Riccardi, & aliorum. Quod argumentum vt eludat Danæus, ait, nullum eorum, aut Hebraice, aut Græce sciuisse, vt iudicari potuerit, an benè ex iis linguis sacra oracula reddita fuerint. Et ne contumeliis locus vacaret: *Horum hominum*, inquit, *testimonium proferre, est cæcorum de coloribus iudicium orbi terrarum commendare.* Cæcos tu illos vocas, quorum doctrinam, eruditionem, ingenium, tam multis sæculis orbis terrarum veneratus est? quorum litteris, ac fide, Ecclesia illustratur?

At Græce, inquis, atq; Hebraice non nôrant. Primo, vnde id nosti? nam Gregorium, & Augustinum, vt facile concesserim non vsq; adeo linguæ Græcæ peritos fuisse, vt diserte scribere, & eloqui possent: quo etiam nomine Gregorius, qui lib 6. Epistola 29. iudicem sedisse se, inter litigantes Græcos fatetur, Græcæ linguæ nescium se esse dicit; hoc inquam, vt facile concesserim: illud qua ratione probes Danæe non video: eos tam fuisse eius linguæ expertes, vt iudicare non possent, quam apte interpretatus esset sacra oracula, quicumq; demum is fuit, qui Latine ea reddidit. Gregorium quidem certè, antequam monachum profiteretur, sæcularibus litteris, ac Philosophia, excultum fuisse accepimus: vt vix ignorare eam linguam potuerit, quę eius litteraturę pars non exigua, ea tempestate habebatur. Eundem postea legatum sedis Apostolicæ apud Imperatorem Constantinopoli, ita versatum scimus, vt ei carissimus esset, eoq; præsente, cum Eutychio Patriarcha Constantinopolitano de vera carnis resurrectione, ita disputarit, vt eum ad palinodiã adegerit: quæ vix, sine linguæ Græcæ peritia præstari potuissent. Augustinum porrò & Græcarum vocum non planè infrequens vsus, & Nazianzeni, Basilij, Chrysostomi, atq; aliorum testimonia, quibus ita vtitur, vt ex Græcis etiam fontibus, non nunquam interpretum errores corrigat, satis ostendunt, eum Græcarum litterarum non plane imperitum fuisse; quanquam puerulus, flectendorum difficultate nominum territus, ab ea lingua abhorruisse dicatur. Nam

Cassio-

Caſſiodorum, atq; Rabanum, cur Græcæ linguæ ignaros facias, non ſatis intelligo. Deinde etiamſi ita eſſe conceſſero, cœcorum ne ideo iudicium dicendum fuit? an illi tam fuiſſent in iudicando præcipites, vt oblatam ſibi interpretationem temere probarent, ex eaq; fidei regulam, ac dogmatum peterent veritatem: niſi, aut ipſi iudicare de interpretis fide poſſent, aut ab aliis didiciſſent, eos libros fideliter, ac diligenter fuiſſe Latine redditos? quæro igitur ab Danæo, tales ne, ac tanti viri ij fuerint, quibus auctoribus vulgatam editionem Latinam, hi Patres amplexi, ac venerati ſunt, vt eorum iudicium tuto, prudenterq; ſequi potuerint, ac debuerint: an verò vel nullis, vel certe non fide dignis auctoribus adductos eos dicat, eam verſionem tanto in honore habuiſſe? ſi prius illud dixerit, certe non adhibemus cœcorum iudicium, illi enim nō temere, vel ſine conſilio; ſed prudenter, ac ſapienter, in eam iuere ſententiā. Sin autē poſterius, malle ſe dixerit, impius profecto in Patres, & blaſphem' in viros ſanctiſſimos eſt, qui eos in re tanta, tam præcipites, ac ſine conſilio fuiſſe dicat; vt cū iudicare ipſi de verſione non poſſent, eam ſibi adſciuerint regulā fidei, ac religionis in Deum ſuæ, quam veram, ac fidelem eſſe exploratum non haberent. An verò Caluino, Lutero, Bezæ, cæteris huius farinæ hominibus id curæ fuit: Auguſtino, Gregorio, Bernardo, Anſelmo, Rabano, quorum tota induſtria, in illuſtrandis, exponendiſque diuinis libris verſata eſt, curæ non fuit? Deinde verò Caluinus, & cæteri Hæretici, cum quoſdam libros expungunt ex canone ſcripturarum, alios adſciſcunt: cum ſcripturas ſuo arbitratu, ac marte interpretantur: interrogati cur à communi Eccleſiæ vniuerſæ ſenſu diſſentiant: auctore id Spiritu ſancto, mentem intrinſecus erudiente, ſe facere deprædicant: cur ergo idem nobis non licebit dicere, eos Patres interno Spiritus afflatu cognouiſſe, eam eſſe veram, atque fidelem ſcripturarum interpretationem, quam ipſi ſequuti ſunt; ob eamque rem, non cœcorum more, de rebus ſibi non perſpectis iudicaſſe? Niſi forte Caluinum turpiſſimorum criminum publico iudicio conuictum, Lutherum mulieroſum apoſtatam, Bezam Audeberti amatorem, & Candidæ, Spiritus ſanctus afflare potuit; viros ſumma vitæ innocentia, integritate, ſanctimonia, non potuit.

Deniq; gloriatur Danæus, tum ſæpè alibi, tum in digreſſione ad librum tertium primæ controuerſiæ, inueniſſe notam ſeſe, qua

certa, ac minime fallente ratione, dignosci vera scripturarum oracula, à nothis, & suppositiitiis; verus scripturarum intellectus ab adulterino facile possit; eamq; notam omnibus hominibus à Deo insitam interdum docet. Quam ergo ob causam negat potuisse eos Patres, de ea versione ferre iudicium? Nam si interpres parum fideliter vertit, profecto id quod de suo apposuit, verbum Dei non fuit; at ea nota verum, ac genuinum Dei verbum, ab adulterino dignoscitur; potuerunt ergo cognoscere verbum illud diuinum non esse, & consequenter parum fuisse fidelem interpretem. Aut ergo negabit, hos Patres veram tenuisse dignoscendæ scripturæ notam; (qualis autem ea nota est, quæ cum omnibus hominibus indita sit, tam multos homines præstantes ingenio, doctrina, sapientia, integritate vitæ latere potuit?) aut certe concedet eorum testimonio niti, non esse cœcorum de coloribus iudicium commendare, quod cœcus ipse, de viris sapientissimis impiè, atque inepte iactat.

3. Iam illud quale demum est? quod lib. 2. ad caput 16. Patres, & quidem doctissimos, atque grauissimos quisquilias vocat Danæus. Soluit eo capite Bellarminus Hæreticorum argumenta, quibus probare nituntur diuina officia vulgari populi idiomate celebrari, & sacram scripturam in publico fidelium cœtu populari lingua recitari oportere. Atq; vt locum ex 1. ad Cor. cap. 14. explicet, ait certum esse, in maxima eius capitis parte non agi de diuinis officiis, aut lectione scripturarum: sed de exhortatione spirituali, siue collatione. *Vt enim Monachi,* inquit, *inter se conueniebant, & conferebant de rebus spiritualibus, vnde existunt collationes Patrum apud Cassianum; ita etiam in prima Ecclesia, vt indicat Beatus Iustinus in fine Apologiæ. 2. conueniebant Christiani diebus Dominicis, & primum legebantur scripturæ; deinde fiebat concio ab Antistite; tum celebrabantur mysteria; postremò inter se de rebus diuinis sermonem miscebant.* Tum verò docet, maximam eius cap. 14. partem in eo insumi, vt rationem instituat Apostolus eius collationis rectè, atq; ordine faciendæ; proq; ea explicatione citat Cyprianum, Augustinum, Basilium, Ambrosium, Sedulium, Haymonem, Theodoretum, Oecumenium.

At Danæus, de collationibus loquens: *Iste,* inquit, *morem hunc ex Monachorum collationibus inter se repetit, quæ nullæ vnquam fuerunt, atq; etiam si vllæ vnquam concederentur, demum post natos in orbe terrarum Monachos extitissent, post annum à nato Christo quadringentesimum, & post hæc à Paulo scripta plusquam 380. Verum Bellarminus è sacra scri-*

ptura

ptura non sapit, sed ex Haymone, Sixto, Rabano, Ruperto, Lombardo, Aquinate, & his quisquiliis. Quo loco, præter immane mendacium, quod, cùm Bellarminus illustrandæ tantum rei gratia, exemplum petat ex Monachorum collationibus: Danæus morem ipsum ex Monachis repeti ab eo dicit; præter intolerabilem impudentiam quod nullo auctore, nullis coniecturis, nulla alia probabili ratione tam confidenter negat collationes Monachorum vllas vnquam fuisse; quas Cassianus in commentarios retulit, quarum in vita Antonij meminit Athanasius, de quibus nemo vnquam ante Danæum dubitauit. Præter hæc inquam, quæ obiter noto, quia huius loci non sunt: est etiam insignis blasphemia, quod eos Patres, quos hîc Bellarminus pro sua sententia protulit, quisquilias vocat. Cyprianus ne igitur Augustinus, Ambrosius, Basilius, Theodoretus in quisquiliis numerantur; quorum similes, vel eruditione, vel ingenio, vel sanctitate post homines conditos, vix totidem alios inuenias?

4. Libro 3. ad caput 7. quo capite Bellarminus interpretem scripturarum, & controuersiarum fidei iudicem esse debere Romanum Pontificem, probat testimoniis Pontificum. Danęus sic scribit. *Quæ testimonia Romanorum Pontificum pro se ipsis, suaq; causa ipsorum tuenda profert Bellarminus, nullius sunt momenti: nemo enim iudex ferendus in propriæ causæ ratione.* Quod idem controuersia tertia vbi de Romano Pontifice agitur identidem excipit.

At Pontifices, quos capite eo septimo, profert Bellarminus, sunt Damasus, Innocentius primus, Leo primus, Gelasius, Gregorius Magnus, Iulius primus, qui omnes eo tempore floruerunt, quo, etiam aduersariorum confessione, vigebat adhuc Romæ, atq; in Occidente toto vera, & Apostolica Ecclesia; neq; id, quod vocant Antichristi Regnum, exortum erat, quod Phocæ Imperatoris temporibus, post Gregorij Magni obitum, cœpisse commemorant. Omnesque ij, aut maxima eorum pars non modo fideles Christiani, sed etiam sanctitate insignes habiti sunt, atq; ab aduersariis etiam habentur. At profectò si contra diuinum ius, à sacris libris, ad se controuersiarum fidei iudicium reuocare conati sunt, & impij, & Hæresiarchæ fuerunt. Libet eadem, qua supra interrogatione vti, facturum ne se id, aut simile quippiam, si res ferat, Danæus affirmet; nam si negat; quo ore sanctissimis, atque integerrimis Patribus, scelus hoc tribuit, à quo vel Danæus abhorreat? Sin verò affirmat; aut sceleratus est, & humana prorsus societate indignus, qui diuinam etiam fi-

dē perdere paratus sit, ac tanto se sacrilegio obstringere vt causę suę faueat; aut inauditę hæreseos architectus, si id sinè scelere fieri potuisse confirmet.

5 Sed ad secundam controuersiam transeamus. Omitto quod libro 4. ad caput 1. Augustinum blasphemum facit. Nam cum blasphemiam esse dicat docere, Christum ab instanti incarnationis fuisse gratia & sapientia consummatum; eius erroris ansam prębuisse Augustinum ait, qui hoc in feruore disputationis contra Pelagianos docuerit. quasi verò aut in feruore disputationis viris & sanctis, & sapientibus blasphemię excidant; aut tā futurus fuerit hebes Augustinus, vt non videret ea ratione deteriorem reddi causam fidei, si in suis disputationibus aduersarij blasphemias depręhenderent; hoc inquam omittam quia ad maiora propero, neque vacat singula persequi.

Illud omittere nec possum, nec debeo quod scribit ad caput 8. eius libri, quo capite de descensu animę Christi ad inferos contra Caluinum disputat Bellarminus, atque ita argumentatur: scriptura sacra, cum de redemptionis nostrę pretio agit, nusquam meminit cruciatuū infernorum, quorum perpessione nos Christus redemerit, sed semper cum ea de re sermo est, ad corporalem Christi mortem, ac sanguinem, salutem nostram refert; falsum ergo est, quod ait Caluinus, Christum morte sua corporali nihil egisse, sed opus fuisse vt animę quoquè mortem nostra causa pateretur. Ad quam Bellarmini ratiocinationem, ita respondet Danæus: *Respondeo falsum est antecedens; Nam nomine mortis crucis, quam pro nobis Christus passus est, non tantum laceratio corporis, sed etiam cruciatus animi, & maledictio Dei, quæ in anima sentitur, intelliguntur*: quo loco non solum vult sacram Christi animam, inferorum dolores esse perpessam, sed etiam ipsam Dei irati maledictionem pertulisse. Idque probat ex Paulo ad Galatas 3. v. 13. & Deuter. 21. v. 23. Ac ne fortè id excidisse imprudēti, aut maledictionem Dei, pro effectu maledictionis, hoc est cruciatibus, atquè doloribus posuisse eum crederes, eodem capite contra responsionem Bellarmini, ad secundum Caluini argumentum, hæc scribit. *Stipendium peccati est mors, inquit Paulus Rom. 6. sed ea duplex est, prima, q̄ est animæ à corpore separatio, & secunda, quæ est Dei ab anima nostra, vtpote nobis irati seiunctio: nam quemadmodū anima corporis vita est, sic Deꝰ est animæ nostræ vita, Augustino etiā teste. Vtriusq;* huius

huius mortis, & pœnæ peccatis nostris debitæ, meminit sacra Scriptura Apoc. 2. v. 11. 20. v. 6. & 14. 21. v. 8. August. de ciuit. Dei lib. 13. cap. 2: in Enchiridio cap. 92. Bernardus sermone 1. de Natali Domini, & in sermone ad milites templi. Hanc vtramque, ac proinde corporis & animæ mortem passus est, & quidem totam pro nobis Christus. Vbi non solùm dolores inferni, atque apprehensionem irati DEI & abalienationis eius à se, passam docet animam Christi, sed ipsam animæ mortem, hoc est, veram Dei iram, atque abalienationem; ita, vt non solùm torta sit illa sanctissima anima, quod iratum sibi DEVM apprehenderit, sed re vera DEVS ipse iratus illi, atque abalienatus ab ea fuerit. At, qui id fieri potuit, si neque DEVS iniustè, & sine causa, irasci: neque CHRISTVS in se admittere potuit, quod iram DEI mereretur? Nam quemadmodum bonum quod amat maiestas Diuina, commendat, vt ait de bono patientiæ Cyprianus: ita quicquid odit bonitas Diuina, condemnat; quare dignum fuisse odio necesse est eum, quem Deus oderit; neque verò dignus esse odio potest, qui bonus est. At nostra causa, inquit, percussus, & quasi vas in locum sceleratorum hominum submissus est. Sit ita sanè, dignus ne igitur fuit CHRISTVS, cui Pater irasceretur, quia eius imperiis obtemperauit, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis? At profectò tanta Filij obedientia, tamque profusa in Patrem charitas, vt præceptum eius potiùs haberet, quàm vitam suam, amorem ac beneuolentiam, non inimicitiam atque iram meretur. Aut ergo DEVS iniustus fuisse dicendus est, qui iustissimum, innocentissimum, ac sanctissimum Filium oderit, eo ipso nomine, quòd esset iustitiæ charitatisque, quàm vitæ tenacior: Aut aliquid commisisse CHRISTVS existimandus est, quo iram atque inimicitiam in se Dei prouocarit: Aut, quod vnum verissimum est, immanis hæc est, atque intolerabilis blasphemia. Quid, quòd iustitiam isti in eo collocant, quòd aut amemur à Deo, aut nos à Deo diligi, certò credamus; qua ergo ratione CHRISTVS tunc temporis iustus fuisse dicendus erit, qui, & ipse abalienatum à se Deum esse credidit, & Deum habuit inimicum, atque iratum sibi? Iustitia ne etiam sanctissimam illam animam viri impij spoliabunt? At qua ratione non spoliant, si vitam ei suam adimunt? quæ enim alia vita animæ, quàm iustitia? aut qua ratione DEVS magis vitam animæ tribuit, quàm iustitiam tribuendo? aut qua ratione ab anima seiunctus, atque abalienaX alienañ

alienatus est, si in ea per Iustitiam habitat? Iustitia igitur isti CHRISTVM Dominum spoliant, tum, cùm omnem iustitiam adimpleuit, pacificans quæ in cœlis, & quæ in terris. At si iustitia caruit, si exosus, & inimicus fuit Deo, profectò peccatum habuit. O bone IESV, quam in te grauius isti sæuiunt, dum vitam tibi animæ, ac iustitiam adimunt, quàm sæuierint olim, qui te in crucem egerunt. Porrò eo verborum circuitu, hoc sibi voluisse Danæum, vt CHRISTI animam Iustitia spoliaret, tunc, cùm mortem animæ illi tribuit, illud argumento esse potest, quòd ea profert ex Augustino, & Bernardo de morte corporis, & animæ testimonia, quibus sine controuersia mortis animæ nomine, peccatum significatur: vt cùm mortem animæ à Christo obitam audieris, peccatum intelligas in Christo fuisse. Sic enim Bernardus, sermone illo primo in Natali Domini, conuersa ad hominum genus oratione scribit: *Duo sunt tibi hostes, peccatum, & mors, id est, mors corporis & animæ: vtrumque debellaturus aduenit, & ab vtroque saluabit te, noli timere, & iam quidem peccatum in propria persona vicit, quãdo humanam naturam, sine vlla contagione suscepit.* Vides eo loco idem planè apud Bernardum significare mortem animę, quod peccatum. Porrò in sermone ad milites templi, capite 1. sic scribit de periculis militiæ sæcularis. *Quoties congrederis tu, qui militiam militas sæcularem, timendum omnino, ne aut occidas hostem quidem in corpore, te verò in anima, aut fortè tu occidaris ab illo, & in corpore pariter, & in anima.* Habemus hîc apud Bernardum duplicem, hoc est corporis & animæ mortem, iam eam quomodo explicet, audiamus. *Si in voluntate*, inquit, *alterum occidendi, te potius occidi contigerit, morieris homicida, quòd si præuales, & voluntate superandi vel vindicandi fortè occidis hominem, viuis homicida; nõ autem expedit siue mortuo, siue viuo, siue victori, siue victo esse homicidam. Infelix victoria, qua superans hominem, succumbis vitio, & ira tibi, aut superbia dominante, gloriaris de homine superato.* Vides quam vocet Bernardus animæ mortem? homicidam esse, succumbere vitio, ira, aut superbia superari: & hanc tu mihi mortem in Christi animam inuehis, quem Deum esse confiteris? Sed ad Augustinum veniamus. Is libro 13. cap. 2. de ciuitate Dei, duplicem hanc animæ & corporis mortem commemorat, & mortem animæ ait esse, cùm à DEO deseritur, corporis, cùm ab eo discedit anima, sed quid sit, animam à DEO deseri, apud Augustinum, ea explicant, quæ subdit eodem capite. *Viuit*, inquit, *anima*

ex Deo,

ex Deo, cùm viuit benè, non enim potest benè viuere, nisi Deo operante in se, quod bonum est: viuit autem corpus ex anima, cùm anima viuit in corpore, seu viuat ipsa, seu non viuat ex DEO. Hæc ille. Si ergo tunc viuit anima ex DEO cùm benè viuit, operante Deo in anima, quod bonum est, tunc vtique moritur, cùm in ea desierit DEVS operari quod bonum est, ac proinde cùm desierit bene viuere, quid autem est benè viuere desiisse, nisi à Iustitia recessisse? Hanc igitur mortem Danæus animæ illi sanctissimæ tribuit, vt fuerit Iustitia spoliata, ac benè viuere desierit, DEO in ea bonum non operante. Sed reliqua videamus. Caput illud Augustinus sic claudit. *Verùm in damnatione nouissima, quamuis homo sentire non desinat, tamen, quia sensus ipse, nec voluptate suauis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, non immeritò mors est potius appellata, quàm vita. Ideò autem secunda, quia post illam primam est, qua fit cohærentium diremptio naturarum, siue Dei, & animæ, siue animæ & corporis.* Quo loco vides, secundam mortem ab Augustino appellari damnationem, quia eam præcedit duplex illa corporis & animæ mors, hoc est Dei ab anima per peccatum, & animæ à corpore diremptio. Iam in Enchiridio ita loquitur, *Non est*, inquit, *vera vita, nisi vbi fœliciter viuitur, neque vera incorruptio, nisi vbi salus, nullo dolore corrumpitur. Vbi autem infœlix mori non sinitur, vt ita dicam, mors ipsa non moritur: & vbi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non finitur: hæc in sanctis Scripturis secunda mors dicitur:* Quo loco, quid nomine secundæ mortis intelligat, satis apparet ex iis, quæ ex libro 13. capite 2. de ciuitate Dei protulimus. Illud interim ex Danæo quæro, eam ne mortem, de qua hîc Augustinus disputat, quamque secundam vocat CHRISTO Domino tribuat: nam si non tribuit, quorsum pro se citat? si tribuit, in eius blasphemiam incidit, qui CHRISTVM damnatum esse, & pœnis gehennæ, etiam nunc torqueri dicere ausus est. Nam de ea morte loquitur Augustinus, in qua mors ipsa non moritur, vbi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, vbi corruptio non finitur, eamque ait, secundam mortem in sanctis Scripturis appellari.

6. Vt minimè mirum videri iam debeat, quod Danæus tam contumeliosus in sanctos est, qui tam fuit sceleratus in Deum. Neque verò Augustinus aut vllus alius Patrum æquo animo ab eo laudari se pateretur, qui tam impiè de DEO sentiret. Itaque quod

paulò post cùm responsionem Bellarmini ad quintum Caluini argumentum conatur eneruare, Augustinum varium, incertum, errore sui sæculi iam abreptum vocat, gratias etiam vir sanctissimus aget, quòd se à Domino non putauerit seiungendum. Fuit sæculum illud maximis, sanctissimisque viris illustre, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Epiphanio, Cyrillo Alexandrino, Chrysostomo, aliis non paucis, quorum tanta semper fuit in Ecclesia, eruditionis, doctrinæ, sapientiæ, sanctitatis opinio, vt quamuis dissecentur, eos mirari, & venerari cogantur aduersarij. Eos omnes vno verbo, erroris, inscitiæ, parum integræ fidei Danæus arguit, quòd Dominum maiestatis inferorum suppliciis non addixerint; sed eum ad inferos descendisse, vt vinctos suos educeret, mortis victorem, debellatorem Sathanæ prædicent. *Sui sæculi*, inquit, *iam errore abreptus est Augustinus, cùm descendisse Christum ad inferos ad educendas captiuorum Patrum animas memorat.* Sed, vt dixi, hæc illis vituperatio multò gratissima, & iucundissima est, atque ad commendationem nominis honestissima: nihil enim, nisi honestum, & præstans vituperare potest is, qui est contumeliosus in Deum. Sed quia paucos violasse sibi visus est, cùm Augustini sæculum affecit contumelia, ad caput decimum quartum malo percitus Dæmone in reliquos debacchatur, quotquot pro descensu Christi victoris ad inferos citat Bellarminus, hoc est, omnes ferè eos, qui iam inde ab Apostolicis temporibus, doctrina, fideque præstantes habiti sunt. Primò infirmum prorsus præsidium ait esse pondus eorum auctoritatis, queriturque in præcipuo fidei articulo explicando hominum auctoritatem testimoniumque proferri. Atqui vt omittam cætera: Primo loco citat Bellarminus Symbolum Apostolorum, quod Caluiniani ipsi verbum Dei & Apostolicum esse fatentur. Infirmum ne etiam eius præsidium, atque humanum testimonium esse Danæus dicturus est? Citat Thadæi, vnius ex Discipulis Domini concionem, cuius meminit Eusebius lib. 1. hist. cap. vltimo, quæ, nisi fidem historiæ velimus abrogare, tantæ auctoritatis esse debet, quantam in eo esse par est, qui verbum ipsum vitæ ex ore Domini Saluatoris ipse hauserit, non fando ab aliis acceperit. Hoc primum, illud deinceps, quod conatus Conciliorum, Thadæi, & Ignatij eludere testimonia, reliquos negat ex verbo Dei sapere. *Confutātur*, inquit, *quod ex verbo Dei non sapiunt, neq; suam sententiam ex eo confirmant; sed ex suis duntaxat coniecturis, & ex eo potissi-*

tißimum errore, quod piorum, & iustorum hominum animas antè Christi incarnationem, non in cælum euolare post mortem censerent, sed in infernum detrudi. At, qui tandem isti sunt, quorum iudicium contemnit, quorum scientiam scripturarum exagitat, quos erroris arguit, & quidem vt ipse fatetur, in præcipuo articulo fidei Christianæ explicando? Ex Græcis Iustinus Martyr, Irenæus, Origenes, Eusebius, Cyrillus Hierosolymitanus, Athanasius, Basilius, vterque Gregorius Nyssenus, & Nazianzenus, Epiphanius, alter Cyrillus, Theodoretus, Damascenus, Chrysostomus: Ex latinis, Tertullianus, Hippolytus Martyr, Cyprianus, Hilarius, Philastrius, Gaudentius, Prudentius, Ambrosius, Hieronymus, Rufinus, Augustinus, Leo Magnus, Vigilius Martyr, Arator, Gregorius Magnus, Beda. Vt iure optimo, iisdem te Danæe, vocibus compellare, atque eadem ratione tecum agere Bellarminus possit: qua olim cum Iuliano Pelagiano Beatus Augustinus: *Cernis nempè Danæe, cum quibus tua maledicta sustineam; Cernis cum quibus mihi sit causa communis, quam nulla consideratione sobria, pulsare calumniis, & expugnare conaris. si cernis, cerne, & tandem tace, Caluinianam linguam tot linguis Catholicis deprime, tot venerandis oribus proterua ora submitte. Si scholam Xenocratis, sicut Polemo, ex antelucano conuiuio, temulentus intrasses; non tanta, quanta in isto cœtu tot sanctorum deberes verecundia coerceri. Hic enim certe tanto maior debet esse verecundia, quanto verior addiscitur sapientia. Tanto amplius reuerendi sunt tot venerabilium Episcoporum, tantorumque Patrum, quam vnius Xenocratis vultus; quanto Platone Xenocratis Doctore, Doctor ipsorum maior est Christus. Ecce quo te introduxi, conuentus sanctorum istorum non est multitudo popularis, non solum filii, sed & Patres Ecclesiæ sunt; ex illo numero sunt, de quibus prædictum est: Pro patribus tuis, nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram. Ex qua filii regenerati sunt, vt hæc discerent; eius Patres facti sunt, vt docerent. In horum ego te introduxi pacificum, venerandumque consessum; sit operæpretium obsecro te. Aspice illos quodammodo aspicientes te, & mansuete, ac leniter dicentes tibi: Ita né Danæe, nos omnes simul errauimus? humanis coniecturis, in præcipuo fidei articulo explicando ducti sumus? ex verbo Dei non sapimus? Denique nos omnes, quos Ecclesiæ suæ, Patres, & Doctores constituit, iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ destituit Spiritus veritatis? Rogo te, Danæe, quid respondebis? quibus eos oculis intueberis? quæ tibi argumenta succurrent? quæ ex Erasmi adagiis dicteria? aut ex Melanchthonis dialectica nomina elenchorũ, quibus,*

bus, vt in nos, velut festiuus disputator, insilias, videri appetis elimatus? quæ, aut tuarum responsionum acies vitrea, aut argumentorum plumbei pugiones, exeri audebunt? quæ abs te arma non fugient, nudumque destituent?

7. Operæpretium facturum me puto, si ad has Danæi blasphemias, insignes alias duas, aut tres ex primo tertiæ controuersiæ libro, adiecero, vt planum fiat, quo spiritu perciti isti homines negent Romani Pontificis in vniuersam Ecclesiam potestatem; qui eius odio, in blasphemias tam horribiles prorumpant. Ad caput igitur eius controuersię nonum, contra responsionem Bellarmini, ad quartum Caluini argumentum disputans, ità scribit. *Quod in fine addit, Romanum Pontificem habere lumen supernaturale fidei, scripturas sacras, & cætera. Primum vnde hanc Dei promissionem habuit, cum contra dicat Christus, Petre oraui pro te, ne tua fides deficiat, Luc. 22. u. 32. contrà doceat Paulus, Petrum à se, quod aberraret reprehensum.* Quo loco primò insanire, non argumentari Danæus videtur; quid enim istuc tandem sibi vult? orauit Christus, né fides Petri deficiat, ergo nullam habet Petrus promissionem, fore, vt non deficiat fides sua? quæro enim à Danæo, impetrasse né Christum existimet, quod rogauit, an irritas planè fudisse preces? si impetrauit, profectò qui orasse se pro Petro dixit, né fides eius deficeret, idem pollicitus est fore ne deficeret. Sin autem impetrasse negat id quod rogauit, primò blasphemus, & impius est, cum ipse Dominus Patrem alloquens Ioan. 11. dixerit se semper audiri à Patre, Pater inquit gratias tibi ago, quoniam audisti me, ego autem sciebam quia semper me audis. Deindè verò ineptum, ac fatuum facit Christum; quorsum enim eum pro quo rogauit né deficiat fides eius, neque impetrare potuit, hoc est eum, cuius fides omninò defectura erat, præfecit confirmandæ fidei cæterorum? & tu aliquando conuersus confirma fratres. Denique maior quædam, immaniorque blasphemia in his verbis latet, si modò non furit Danęus. Neque enim ex eo quod Christus orauerit, né deficeret fides Petri, colligi vlla ratione potest defecturam eam fuisse: nisi, si ità argumentetur Danæus. Aut nunquam, aut ferè nunquam, cum Christus à Patre petit, impetrat id quod petit: at orauit, né deficeret fides Petri; non igitur impetrauit, aut certe valde verisimile est non impetrasse. Equidem, & si blasphemiis non parcere Danæum

scio

ſcio: tantam tamen blaſphemiam, eum concepiſſe non arbitror: ſed inexpiabili ſuo in Petrum Apoſtolum odio, vt ei incommodaret non animaduertiſſe quid diceret.

Secundo, quod addit de reprehenſo Petro, ab Apoſtolo Paulo, intolerabilem blaſphemiam continet, ſi attentius conſideretur. Hæc eſt enim eius argumenti vis. Reprehenſus eſt Petrus à Paulo, ſecundo ad Galatas, ergo fides eius deficere potuit: qua autem ratione ex ea reprehenſione id poteſt colligi, niſi quia Petrus aberrarat à fide, ad quam à Paulo reprehenſus, ſe recipit? Petrum igitur Apoſtolum, poſt acceptum Spiritum Sanctum aberraſſe à fide, atque erroris magiſtrum in Eccleſia fuiſſe Danæus vult. At ſi aberrare à fide Apoſtoli potuere, quid tandem ſcire poſſumus, vtrum nos vera docuerint? an reliqui errare non poterant, Petrus vnus errare poterat? cui nimirum pollicitus erat Dominus fore, vt ſuper eum ædificaret Eccleſiam ſuam, aduerſus quam né portæ quidem inferi preualerent, cui paſcendarum ouium, vt Lutherus interpretatur, pabulo doctrinę Euangelicæ, prouinciam demandarat, quem fratrum fidei confirmandæ præfecerat. At né fortè obſcurius hoc cuipiam dixiſſe videretur, magis etiam explicat, ac Petrum inter eos Pontifices Romanos, quos Hæreticos fuiſſe dicit Principem numerat. *Nec vero*, inquit, *meliores ſunt Romani Pontifices Petro ſuo auctore; id quod & Liberii, & Vigilii, & Honorii, & Anaſtaſii Romanorum Pontificum Hæreticorum exempla confirmant.* Quid autem eſt hoc? nempè malus Petrus Romanorum Pontificum auctor, at illi auctore ſuo Petro non meliores. Nam, vt ille tum, cum reprehenſus eſt à Paulo aberrauit à fide, ità hi poſteà ſedem eius nacti Hæretici fuerunt. At ô per Deum immortalem, quæ iſta eſt in Petrum Apoſtolum horum hominum rabies? parcant ſin minus homini, at Apoſtolatui quidem certè. Dignus eſt Apoſtolus, qui in nomine Apoſtoli ſuſcipiatur. Patres Apoſtolos veneratur Eccleſia, ſuperque iis exædificatam ſe gloriatur. Quid conantur blaſphemi atque impii homines, ipſa etiam domus Dei fundamenta demoliri? Quid iam in Eccleſia reliquum eſt integri, ſi ipſam etiam labefactant Apoſtolorum fidem? Equidem, vt in Petro nonnullam fuiſſe culpam non inficior, quod né ſcandalizaret Iudęos, qui Hieroſolymis venerant, ita ſe geſſit in obſeruation-

uatione legalium, vt Gentiles, qui conuictu eius per eam occasionem priuabantur, id ægrius ferrent: id quod Paulus, libertate Apostolica, in Coapostolo reprehendit, né quis Gentilium ad Iudaizandum induceretur; ità non modo nihil eum, aut docuisse, aut gessisse alienum à fide; sed né grauius quidem peccasse confirmo. Simulauit se seruare legalia, at quia natione Iudęus erat, seruare ea poterat si voluisset, vt seruauit Iacobus Hierosolymis, vt Paulus ipse, auctore Iacobo, tum cum abraso capite voti causa intrauit in templum, vt tota eo tempore Hierosolymorum Ecclesia, sic enim Actorum 21. vides frater quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis. At ex ea simulatione suspicari Gentiles poterant, se quoque eadem seruare oportere. Ne id quidem, non modo quia iam antè delata ea controuersia ad Hierosolymitanum Concilium fuerat, pronuntiatumque Gentiles iudaicis ritibus non teneri; sed etiam, quia Petrus ipse, ante aduentum eorum, qui à Iacobo Hierosolymis venerant, iudaicas ipse ceremonias neglexerat, atque exemplo suo Gentilium animos confirmauerat. At obiecit Petro Paulus quod cogeret Gentes iudaizare. Nimirum, quia ab eorum se conuictu subduxerat, vt Mosaicas ceremonias obseruaret, quo carere cogebantur, nisi iudaizarent.

8. Breuiter alterum locum ex eodem capite proponam, cum primam Caluini rationem defendit Danæus, quo loco, aut plane ineptus, ac stultus est; aut blasphemus, & impius. Bellarminus enim in eo capite, quo quęrit vtrum spirituale Ecclesię regimen debeat esse monarchicum, ad primam Caluini rationem, qui ex Lucæ 22. Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic, colligit ministerium Apostolorum, non esse Regnis simile, in quibus vnus eminet. Ad hanc, inquam Caluini rationem respondet non tolli à Domino eo loco Monarchiam, sed modum eminendi superbum, & impotentem, qualis esse solet in Regibus. Id quod ex eo probat, quod affert Dominus exemplum sui, qui cum esset magister, & Dominus, tamen in medio eorum erat, sicut qui ministrat, atque inter alia hæc quoque scribit. *Sicut Christus non dominabatur, nec præerat sicut Reges gentium, sed ministrabat, & laborabat, & tamen vere præerat, imo & Dominus erat: ita quoque vult vnum ex suis verè præesse, sed absque libidine dominandi, qualis est in Regibus Gentium.* Quo loco vides Bellarminum non ex temporali Christi Regno, quicquam colligere, sed illud vnum velle: Christum verè habuisse regimen supremũ

Eccle-

Ecclesiæ, idque sine fastu & superbia administrasse, ac voluisse vt suo loco, supremum hoc spirituale Ecclesiæ regimen Vicarius suus administraret sine fastu, ac libidine dominandi. At Danæus præfatus Solem in meridie lucere, Bellarminum tam verè negare posse, quàm verè negat eo loco sublatam voce Domini ab Ecclesia Monarchiam. Neque verò si Regem Petrum Dominus iam tum designasset, cùm daturum se ei claues pollicitus est, iterum interrogaturos fuisse Apostolos, quis eorum videretur esse maior, cùm sibi eum iam ante præfectum fuisse scirent. Hæc inquam præfatus, quibus satis ostendit, loqui se de spirituali Monarchia, atque de Ecclesiastico, non de temporali & politico regno, hæc subiicit: *Excipit Bellarminus, Christus ipse Apostolis præfuit, verum respondeo, non vt Monarcha, & Rex terrenus, teste ipsomet Christo, Ioan. 18. v. 36. Regnum meum non est de hoc mundo.* Quo loco, si negat temporale, atque politicum fuisse Christi in Ecclesiam dominatum, & si non magnopere contendo, tamen extra rem loquitur, neque enim de eo dominatu sermo est. Si autem negat, tam plenum ac supremum habuisse Christum spiritualem Ecclesiæ Principatum, quàm plenum, atque supremum in suis regnis obtinent Reges gentium politicum dominatum, profectò blasphemus, & impius est. At id voluisse sibi Danæum, & ea, quæ ante ab eo dicta iam memorauimus, & ea quæ sequuntur, satis indicant. *Et vt Christus*, inquit, *sicut Rex suæ Ecclesiæ præsit, & præfuerit: aliorum tamen non est eadem potestas.* Hoc est, etiamsi concesserimus, Christum tanquam regem Ecclesiæ præfuisse, & nunc præesse, non tamen id reliquis concedemus. Quid est autem, tanquam Regem præfuisse? politicam ne ac terrenam administrationem habuisse? minimè verò, nam neque id in controuersia est, & satis constat nihil eum temporale, aut politicum administrasse: Quid igitur sibi vult, nisi hoc? etiamsi concedamus, Christum ita plenum, ac supremum habuisse spiritualem Ecclesiæ dominatum, quàm plenum, & supremum habent reges gentium in suis regnis politicum, & temporale imperium. Hoc igitur primò negauit absolutè Danæus, deinde disputationis causa permisit aduersario, aut certè ita loquutus est, vt hoc videatur negare voluisse.

9. Impiæ denique, atque blasphemæ Danæi in Petrum calumniæ, atque adeò totum hoc caput, claudantur iis, quæ ad caput 19. scribit, quo capite Bellarminus, tertiam Petri prærogatiuam numerat ambulationem super aquas. At Danæus: *Temeritas fuit*, inquit,

tertia hæc Petri prærogatiua, videlicet quod Petrus Christi miracula imitari voluit, & vires suæ fidei experiri, exiguas illas quidem, ignorans plus de se, quàm sibi inesset præsumere. Itaque super mare ambulare voluit, vbi penè sua temeritate periit. Quid aliud Danæe de homine nequam, planeque perdito diceres? Si quid ea in re Petrus peccasset, hoc tamen tanto Apostolo debuisses, vt verecundius eius peccatum accusares. Nunc autem temeritatem, arrogantiamque facto pulcherrimo affingis, eumque in aquis non periisse propemodum quereris, credo, quia superstitis potestas in vniuersam Ecclesiam negotium vobis facessit. Iam quid in illo facto reprehendas videamus. temerè se eum, & arroganter gessisse dicis, quòd Christi miracula imitari voluit, plus sibi de se pollicitus quàm inesset. At ille, non quid ipse posset, experiri voluit, sciebat se super aquas ambulare suis viribus nequaquam posse, postulauit à Domino, vt ambulare se super aquas iuberet, nunc vsque vacat Petrus omni non modò crimine, verùm etiam criminis suspitione. Eum quidem certè eo nomine Dominus non reprehendit, sed dignum existimauit cui concederet quod postulabat. Respondit Dominus, Veni. Petrus, Domino iubente, vt super aquas graderetur, ingressus est. Quam tu hîc temeritatem inuenis censor Apostolorum? quia ne credidit, posse Christum sub pedibus suis vndas sistere ne mergeretur? an quia vocanti Domino nihil hæsitans obtemperauit? est ne hoc miracula Christi velle imitari, an in se potius experiri? ambulauit aliquandiu super aquas, prius quàm mergi inciperet, Petri ne illud miraculum, an Christi fuit? si Petri, fide profectò non caruit, cùm ambulare cœpit, neque temerè se gessit, si illius ardore fidei, quæ per aquas etiam iter ambulanti præbere potuit, rem est aggressus: Si CHRISTI, quod igitur CHRISTI miraculum Petrus voluit imitari? an ille consultius facturus fuisse tibi Danæe videtur, si accersente ad se Domino, quòd ea res difficilior videretur, super aquas ingredi noluisset? Affirmabis opinor, hæc est enim vestræ Caluinistarum fidei norma, nihil vt credatis, nisi quod vobis arriserit, at Apostoli in spem, etiam contra spem credere didicerunt; quia filij sunt promissionis Abrahæ. At fides eum postea ambulantem defecit. Vitium igitur, si quod est, non in eo positum est, quòd vocanti Domino paruit, sed quòd iter ingressus, videns ventum validum, timuit; quare non id reprehendit Dominus, quòd aut postulasset, aut iussus per aquas ingredi esset ingressus,

sed

ſed quod cùm fideliter cœpiſſet, locum poſtea dubitationi dediſſet humani aliquid paſſus.

Iam illud etiam horribilius, quòd vt quartam Petri prærogatiuam extenuet, quæ in eo poſita eſt, quòd Chriſti Diuinitatem, Patre reuelante didicit & confeſſus eſt; eam confeſſionem comparat cum Diaboli confeſſione, eamque blaſphemiam, vt bis blaſphemus ſit, tribuit beato Auguſtino. *Imò*, inquit, *Auguſtinus, ſermo. 33. de verbis Apoſtoli, ex Marci 1. v. 14. tradit idem de Chriſto confeſſum penè eſſe Diabolum, quod Petrus Matthæi 16.* At Auguſtinus eo loco non Petri Apoſtoli, & bonorum Chriſtianorum, ſed impiorum, & Caluiniſtarum fidem, ait eſſe fidem Dæmoniorum. Verba eius profero, locum integrum deſcribo, vt omnes videant quantum interſit inter Auguſtinum verè & catholicè diſputantem, & Danæum Caluiniacè blaſphemantem. In eo igitur ſermone, non multum ante finem ſic ſcribit: *Nolite eſſe tanquam de fide ſecuri, adiungite fidei rectæ, vitam rectam, vt Chriſtum confiteamini in carne veniſſe, & verbis vera dicendo, & factis benè viuendo. Nam ſi confiteamini verbis, & factis negetis, fides talium malorum, prope eſt fides Dæmoniorum. Audite me chariſſimi, audite me, ne ſit vobis teſtis ſudor hic meus, audite me. Iacobus Apoſtolus, cùm de fide & operibus loqueretur, aduerſus eos, qui ſibi putabant fidem ſufficere, & opera bona habere nolebant, ait: Tu credis, quia vnus eſt* DEVS, *benè facis, & Dæmones credunt, & contremiſcunt. Nunquid ideò Dæmones ab æterno igne liberantur, quia credunt, & contremiſcunt? Ecce modò quod audiſtis in Euangelio, quod ait Petrus, Tu es* CHRISTVS, *Filius* DEI *viui; legite & inuenietis, dixiſſe Dæmones, Scimus quia ſis Filius* DEI, *Petrus tamen laudatur, Dæmon compeſcitur; vna vox, facta diuerſa, vnde ſeparantur iſtæ duæ confeſſiones? laudatur amor, damnatur timor: non enim amore dicebant hoc Dæmones, Tu es Filius Dei, timore hoc dicebant, non amore. Denique illi in confeſſione dixerũt, quid nobis, & tibi? Petrus aũt, Tecum ſum vſq; ad mortem; ſed & Petrus ipſe vnde fratres mei, vnde illi diceret ex amore, Tu es Chriſtus filius Dei viui? vnde illi? ita ne de ſuo? abſit, & cætera.* At Danęus, ne vel in eius confeſſionis laudatione cum Chriſto conſentiat, vtq; eam beatitudinẽ Petro deneget, quam eius fidei & reuelationis acceptæ cauſa, Chriſtus ei tam magnificè tribuit, Petri confeſſionem cum Diaboli cõparat confeſſione, quam Chriſtus ne admittere quidem in aures voluit. Hanc videlicet pietatem, hanc religionẽ, hanc in Deum, ac ſanctos eius venerationem

docet Euangelium Geneuense, Sanctos maledictis proscindere, in Apostolos furere, in Christum debacchari, nihil sacrum ac sanctum ducere, hæ demum sunt Caluinianæ delitiæ, hi flores, hæc mala, quibus Geneuensis Satanæ sponsa languens amore fulcitur, atque stipatur.

Propria Danai hæreses.

CAPVT II.

NE inanem planè operam in scholis Hæreticorum posuisse, ac nihil tam multis annis, apud Bezam, & Geneuæ Danæus profecisse videretur, non Hæreticus modò, sed hæresum etiam esse voluit Architectus. Itaque aut in aliarum Sectarum errores abiit, aut nouos ipse commentus est, vt cuius eum Sectæ fuisse dicas, aut quo hæresim eius appelles nomine nescias. Tres proprias eius, atque à Caluini placitis abhorrentes hæreses libro superiore obiter notauimus, cùm eius mendacia numeraremus: hoc capite, & de iis aliquid, quia hîc est proprius earum locus, & de non paucis aliis disputabimus.

1. Christi descensum ad inferos, libro 4. 2. controuersiæ, negat vllum planè post mortem fuisse, eamque sententiam Caluino suo falsò tribuit, vt iam ante probauimus. Cæterùm hæresim eam esse satis probatur ex eo, quòd & Apostolico Symbolo, & Scripturis, & sensui communi veteris Ecclesiæ repugnat. Et quidem veteris Ecclesiæ consensum probant luculenter admodum ea Patrum testimonia, quæ ex ipso antiquitatis flore collecta protulit Bellarminus libro 4. cap. 14. 2. controu. dum probat, Christi animam ad liberandas inferno carcere sanctorum animas ad inferos descendisse; qui enim docent in inferno ad diem vsque resurrectionis versatum, sine dubio docent, post mortem in inferno fuisse; quanquam tot, tantorumque Patrum iudicium, nihil moratus, pro Caluiniana sua in Patres obseruantia, sapere eos ex Scripturis negauit, vt capite superiore notauimus. Apostolicum verò Symbolum apertè hanc Danæi impietatem damnat: videmus enim ea, quæ de Christo traduntur in Symbolo, eo ordine collocari, quo gesta sunt. Ita primò numeratur Conceptio, tum Natiuitas, tum Passio sub Pontio Pilato, quæ pœnas omnes complectitur, quas eo tempore protulit Christus; deinde nominatim cruci affixio, mors, sepultura, descensus ad inferos.

ros, resurrectio, ascensio in cœlum, sessio ad dexteram Patris; denique etiam secundus eius aduentus ad iudicandos viuos & mortuos. Cùm ergo in cæteris omnibus ordinem rerum gestarum tam religiosè seruauerint Apostoli sancti, profectò aut manifesta aliqua causa assignanda est, cur post sepulturam descensum ad inferos collocarint, aut post sepulturam aliqua ratione cõtigisse dicendus erit. id quod Caluinus explicare aliqua ratione potest, quia, & si iam inde ab horto descendere cœpisse ad inferos, Christum docet: tamen post mortem etiam in eo versatum existimat, quare dicere potest, post sepulturam descensum ad inferos numeratum, vt significaretur, in inferno etiam post sepulturam fuisse. At Danæus, quid respondeat, planè non habet, cùm velit ita viuentem Dominum, in infernum descendisse, vt morte corporis esse in inferno desierit. Neque verò potest ad putidam Bezæ explicationem confugere, vt dicat inferni nomine eo loco sepulchrum intelligi, non solùm quia sepulturæ eius fidem verba superiora satis adstruxerant, neque erat cur, quod Apostoli apertè iam docuerant, id repeterent obscurius. Sed etiam, quia effugium illud sibi ipse Danæus sustulit, cùm ad caput 14. ea Symboli verba, de ipso ad inferos descensu, non de sepulchro intelligi, ipse docuerit. Scripturarum denique oraculis hæc Danæi noua hæresis manifestè conuincitur. Nam verba illa concionis Petri, Actorum 2. quibus Christus dicitur solutis inferni doloribus surrexisse, Danæus ipse ad caput 8. lib. 4. cùm impugnat responsionem Bellarmini ad 5. Caluini argumentum, intelligit de inferno in quem anima Christi descendit, atque ea dici de Christo iam mortuo, libro superiore satis probauimus ex ipso Scripturæ textu.

Altera hæresis, quam suprà numerauimus, ea est, quòd docet, piorum animas, qui ante incarnationem mortui sunt, statim vidisse Deum; qua in re, non solùm aduersatur Caluino suo, qui suspensa omnia, ad diem vsque iudicij manere existimat, sed etiam veteri Ecclesiæ vniuersæ, quæ sensit iustorum animas, non modò non statim ad Deum, vt in se est, contemplandum euolasse, sed etiam inferni carceribus detentas, ad eum vsque diem fuisse, quo à Christo eductæ, ac libertate donatæ sunt: quo nomine Danæus erroris arguit ad caput 14. libri 4. ad triginta illos Patres, quos ibi Bellarminus numerat pro fide catholica. Neq; verò desunt testimonia Scripturarum, quæ disertè nouum hoc Danæi commentum refellant. Vnum pro-

feram ex epistola ad Hebræos, quod rem hanc Sole meridiano clarius explicat. Sic autem argumentor. Repromissio, ad quam sancti veteris Testamenti anhelabant, fuit patria cœlestis, & merces ea, quam Dominus Abrahæ promisit, cùm egredi eum iuberet ex patria, hoc est, Deus ipse clarè, atque vt in se ipse est visus: sed repromissionem sancti illi nõ sunt adepti, vsque ad tempus N. Testamenti, ergo visionem DEI ad illud vsq; tempus adepti non sunt. Maior propositio probatur ex Paulo ad Hebræos 11. versic. 10. vbi de Abraham loquens reddit rationem, cur tam libenti animo in terra promissionis peregrinatus sit cum Isaac, & Iacob, non tanquam dominus, sed tanquam hospes, & aduena. Exspectabat enim, inquit, fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex, & conditor Deus. & versic. 13. docet omnes illos, quos antè numerauerat ita versatos in terra, vt confiterentur, se esse peregrinos, & hospites super terram, iisque verbis satis significasse, patriam se quærere, non quidem in terris; nam si natale suum solum patriam appellassent, futurum illis fuisse non difficilem in patriam reditum, nunc autem inquit vers. 15. meliorem inquirunt, id est, cœlestem; hæc igitur erat ea repromissio, ad quam viri sancti & electi Dei anhelabant, quamque quærebant, dum peregrinarentur in terra. Minorem porrò propositionem conceptis verbis scribit Apostolus eodem capite vers. 39. vbi cùm prius numerasset veterum sanctorum, inprimisque Prophetarum exilia, cruciatus, mortes; hi omnes, inquit, testimonio fidei probati, non acceperũt repromissionem, Deo melius aliquid prouidente pro nobis, vt non sine nobis consummarentur. Vbi vides repromissionis adeptionem ad nouum vsque testamentum dilatam. Sed ego hoc capite non disputo aduersus Danæi hæreses, sed eas enumero.

Tertiam eam hæresim suprà notauimus, quod libro quinto ad caput decimum dixit, naturam diuinam descendisse, ac formam serui accepisse, & ne quem excusationi aut explicationi locum relinqueret, id dixit de natura, vt à persona distinguitur. Ait enim Caluinum loqui de persona verbi, quam negat eguisse, vt sibi aliquid mereretur: Bellarminum verò agere de natura Verbi diuina, quæ descendit, & formam serui assumpsit. Hanc autem hæresim esse, pluribus demonstrare opus non est, cùm explosa iam ante à veteribus fuerit.

Reliquas Danæi proprias hæreses, ex secunda controuersia colli-

colligam prius; quòd ea controuersia, vt in argumento difficiliore versatur; ita homini, qui præter Elenchorum nomina & humaniorem non exquisitissimam literaturam nihil sciret, errandi sæpius præbuit occasionem; tum verò ex prima etiam nonnihil adiiciam. Lib. 1. ad 10. & duo consequentia capita. Probationem fidei, quæ ex signis ac miraculis ducitur, reiicit, atque infirmam esse ait, ac reprehendit Bellarminum, quòd contra Arrianos eo probationis genere vtatur. At quamuis nobis satis esse debeant eloquia scripturarum, neque quasi increduli signa quærere debeamus: signa enim infidelibus, non fidelibus data sunt: tamen negare fidei nostræ veritatem miraculis bene probari, hæreticum est, atque à Scripturis alienum. Nam & veteres Prophetæ hoc argumentum ad confirmandam veritatem eorum, quæ prędicebant, aliquando afferebant, vt Isaias retrocessione vmbræ valetudinem Regis, quam futuram prædixerat, confirmauit. Moses signis atque prodigiis, missum se à Deo Pharaoni probauit; Samuel subito cœli gemitu ac concitatione procellæ vsus est. Dominus ipse, cùm à Ioannis Discipulis quæreretur, vtrum Christus esset, miraculorum ostensione respondit. Idem dixit futurum fuisse, vt peccatum Iudæi non haberent, quòd prædicationi suæ non crederent, nisi signa fecisset, quæ nemo alius fecerat. Comminatus est atque interitum prædixit iis oppidis, in quibus virtutes fecerat, quòd iis visis non redissent ad pœnitentiam. Idem, signa, inquit, eos qui crediderint, hæc sequentur, In nomine meo Dœmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt. Illi autem profecti, inquit Euangelista, prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Ioannes cap. 12. Iudæorum duritiem & cœcitatem arguit, quòd cùm Dominus tanta signa fecisset coram eis; tamen non crediderũt in eum. Denique Pharisæorum hic Spiritus est, vt miraculis fidem abrogent, eaque calumnientur. Matt. 12. v. 24. Marci 3. v. 22. Sed nimirum Hæretici, cùm vera miracula non sperarent, ab eo, qui, quoniam veritas ipse est, non potest adstipulari mendacio, in confirmationem perfidiæ suæ, simulare miracula non semel aggressi, ac vera Dei vltoris experti miracula, hoc demum cœpere consilij, vt miraculis fidem abrogent, ac negent quicquam ea ad probationem & confirmationem fidei facere.

Ad eius-

Ad eiusdem controuersiæ libri 2. caput 9. ait, relationes diuinas, paternitatem, & filiationem esse accidentia. Neque videt, ea hæresi, causam se eam prodere, quam tuetur. Quia satis liquidò demonstrassent Arriani, quorum argumentis, eo capite respondet Bellarminus, non posse in Deo esse tres personas, si demonstrassent sine accidentibus esse non posse; cùm ipsa natura doceat, accidentia in Deo esse non posse: tum quia Deus, vel ipso teste Danæo, ad caput eius libri decimum, merus actus est, qui compositionem nullam admittit, & accidens in substantia esse sine compositione non potest; tum quia accidens natura sua, imperfectionem aliquam habet admixtam, cum alieno adminiculo, cui innitatur, indigeat: at notio ipsa increati, & diuini, nullam planè imperfectionem admittit; quare aut eæ relationes esse increatæ, & diuinæ non poterunt, sed creatum nescio quid quod acciderit Deo; aut accidentia esse non possunt: quamobrem si eò nos Arriani redegissent, vt confiteri cogeremur relationes diuinas accidentia esse, Trinitatem iam ipsam expugnassent. Deinde verò, aut vult Danæus relationibus personas diuinas constitui ac distingui, aut aliquo alio absoluto, quod sit relationum illarum fundamentum. Si prius malle se dixerit, profectò personarum numerum tollit; nam quemadmodum idem homo, qui est pater vnius, potest esse filius alterius hominis, neque quia habeat duas distinctas relationes; ideò habet duas personas distinctas, & idem homo frigidus, non est persona distincta à se ipso calido, ita neque in diuinis multiplicatio accidentium & relationum, constituere posset, ac distinguere personas. Denique persona nihil aliud est, quàm prima substantia naturæ rationalis, at nulla substantia potest accidente constitui, quare si personæ diuinæ, nulla re alia, nisi accidentibus differunt, non possunt plures esse personæ, sed vna, plura habens accidentia. Sin autem vult Danæus absolutum aliquid esse, id, quo constituuntur, ac distinguuntur personæ; vrget rursus argumentum Arianorum, quod eo loco soluit Bellarminus. Id enim, quo Pater differt à persona filij, vel est substantiale, vel est accidentale, si est substantiale, ergo aliquid substantiæ Patris non est in filio; si accidentale, ergo personæ accidentibus constituuntur. Quare Danæus multò fecisset consultiùs, si quod in scriptis Bellarmini non intelligebat, omisisset intactum, quàm vt causam fidei aduersariis proderet. Porrò, quòd obiicit Bellarmino, negare eum eas relationes esse, vel accidentia, vel substãtias; calumnia est; cùm enim

doceat

doceat de essentia relationum esse diuinam ipsam essentiam, qua ratione negat relationes esse substantias? sed hominem, neque ingeniosum, neque harum rerũ intelligentissimum decepit, id quod Bellarminus ad finem capitis addidit; relationem secundum suam formalem rationem abstrahere à substantia, & accidente, quod ne cui forte Danæi simili facessat negotium explicandum breuiter est. Aliud est enim loqui de relatione diuina, vel creata, vt diuina, aut creata est: aliud loqui de natura relationis, vt significat illam rationem relationis diuinæ, & creatæ communem; si de relatione diuina loquamur, substantia est, quia diuina, & increata est; si de relatione creata, accidens est, quia in substantia est, vt in subiecto: Si autem loquamur de relatione, vt est comune quippiam creatæ, atque increatæ relationis; ea neque substantia, neque accidens est, atque vt ait Bellarminus abstrahit à substantia, & accidente: si enim accidens esset, nulla vnquã relatio, posset esse substantia, at in Deo substantia est; si esset natura sua substantia, nunquam posset esse accidens: at in creaturis accidens est: Sicut ergò communis illa relationis notio, à creata, & increata, secundum formalem suam rationem abstrahit; ita etiam abstrahit à substantia, & accidente.

Ad eius libri. 13. & quinque consequentia capita, docet, *Cum filij ex Patre emanatio, generatio, & natiuitas appellatur; Filius quoque* Λόγος, *& Verbum vocatur, & per modum eum, quo intelligendo aliquem conceptum producimus, ex Patre procedere dicimus: Has loquutiones, & voces, quibus tanta mysteria explicantur; plane esse tropicas, figuratas, translatas; eodem modo, cum de Spiritus sancti, ex Patre, & Filio emanatione agimus*, inquit, *quam, & processionem vocant, & per modum spirationis, & amoris fieri volunt; Hæc omnis rerum tam augustarum explicatio verbis tropice, figurate, & translatitie sumptis fit.* Idque non semel postea repetit, neque videt totum se mysterium sanctissimæ Trinitatis funditus euertere. si enim Pater verè non generat, Filius verè non generatur, neque hic verè Pater neque ille verè Filius est: nulla enim alia his vocibus notio subest, quam quod hic verè genuerit, ille verè genitus sit. Pater, inquit Basilius libro. 2. contra Eunomium, circa medium, Pater, inquit, est qui alteri principium vt sit, iuxta similem sibi naturam exhibuit; Filius vero, qui ex alio per generationem principium, vt sit habuit. Quare, qui veram Filij generationem, ac natiuitatem ex Trinitate tollit, is eadem opera verum Patrem, ac verum Filium tollit: quod idem de Spiritus

sancti ex Patre, & Filio processione dicendum est, si enim verè hi non spirant, ille non spiratur; profectò neque hi spirantes, neque ille verè eorum Spiritus esse potest. At semper fides christiana docuit, id, quod in tractatu de fide, his verbis prædicat summus Theologus, Gregorius Nazianzenus. *Quis Catholicorum ignorat, Patrem verè esse Patrem, Filium verè esse filium, & Spiritum sanctum verè esse Spiritum sanctum, sicut ipse Dominus ad Apostolos suos dicit, euntes, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et beatus Basilius loco paulo ante citato fuse probat, nomen generationis, non abusiuè, non improprie, non translatitie; sed verè, & proprie, ac magis proprie Deo, quam creaturæ conuenire. Et verò qua ratione vere diceret Paulus ad Ephes. 3. v. 15. ex Patre Domini nostri Iesu Christi omnem Paternitatem in cœlo, & in terra nominari, si is verè, ac proprie Pater non esset, & quidem magis, quam reliqui omnes Patres, ad quos ab eo paternitas deriuatur? aut qua ratione Pater esset, qui Filium verè non gigneret? Vel qualis tandem Filius is esset, qui metaphorice esset, ac non proprie Filius? cum tamen eum non solum filium, sed verum filium Dei scriptura vocet. primæ Ioannis. 5. v. 20. scimus, inquit, quoniã filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius. Nimirum caluiniana hæc ad tropos omnia reuocandi libido, vel vesania potius, verũ DanæoPatrẽ, ac verũ filiũ Dei, quanquam scripturis reclamantibus sustulit ex Trinitate.

Ad caput 22. libri eiusdem secundi, reprehendit Bellarminum, quod doceat, quando Spiritus sanctus mitti dicitur in scripturis significari, quod non solum dona creata Spiritus sancti dantur, sed etiam cũ donis ipsa datur Spiritus sancti persona; quodque manifestus sit error, si quis contrarium asserat. *Imò* inquit, *sæpe verius de ipsis Spiritus sancti donis, quam de ipso Spiritu sancto, id est de illius persona, hæ phrases, & eiusmodi missio intelligitur. Velut Io. 14. v. 17. 16. v. 13 atque adeo ipsemet ille, v. 26. in. c. 15. Ioannis, de donis Spiritus sancti. intelligitur, quem hoc loco affert, & vrget Bellarminus.* Videri posset, hoc loco non negare, mitti personã Spiritus sancti, sed solum negare ex ijs scripturæ locis colligi hanc ipsius personæ missionẽ, quæ Bellarminus vrget; nisi ea, quæ subiicit, sententiã atq; impietatẽ eius planã facerent. *Præsentia quidem*, inquit, *Spiritus sancti, per eiusmodi dona, & symbola, per quæ tunc extraordinarie agit, seque profert Spiritus, illustrior apparet, & clarior, quemadmodũ cum in rubo apparuit Moysi*

Deus

Deus, Exodi.3. persona autem ipsa Spiritus sancti præcise, nō superuenit aut descendit, vti neque persona Filij, cum in rubo sese in flamma manifestaret. Quod dicimus de Spiritu sancto, confirmatur ex Paulo 1. Cor. 12. v. 7. datur Spiritus, id est declaratio Spiritus, & donum Eph. 4. v. 7. nec longa, aut alia recitatione res eget. Quibus verbis, primo apertè negat ipsam Spiritus sancti personā mitti, atquè dari, cùm Spiritus sanctus in scripturis dari, vel mitti fidelibus dicitur. Deinde ita loquitur, quasi mitti, vel venire Spiritus sancti personam, sit cœlo relicto, ad ima descendere, vel nouum locū acquirere, in quo prius non esset, quorum neutrum caret errore. Cum enim de hoc aduentu, ac missione Spiritus sancti loquens Dominus in scripturis, tam aperte ipsam Spiritus sancti personam venturam esse pronunciet: profectò sine errore, atque impudentia singulari negari non potest. Accipiamus primò eum ipsum locum, quem vrgeri a Bellarmino Danæus commemorat. cap. 15. Ioannis v. 26. Cum autem inquit venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Quibus verbis describere clarius potuit ipsam Spiritus sancti personam, si eam mitti, & venire significare Dominus voluisset? certè verba illa, qui à Patre procedit, internam eius processionem, atquè emanationem significant, neque dona sancti Spiritus à Patre ea ratione procedunt, aut procedere possunt. At illum, qui procedit, missurum se à Patre Dominus dicit, ergò ipsam eius personam mitti, ac venire significat. Deinde ea, quibus Bellarminus id ꝓbat, quæque Danæus more suo dissimulat, quā id manifeste cōcludunt? *Romanor.* 5. inquit Bellarm. *dicitur: Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. Vbi vides apertè distingui spiritum S. & dona eius, & vtrumquè dari. Item 1. Cor. 6. Membra vestra templum sunt Spiritus S. qui habitat in vobis. Et infra, Portate Deum in corpore vestro; at certè dona Spiritus S. non sunt Deus, neq; illis debetur templum. Et 1. Ioan. 4. Qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo, ergo non sola caritas in nobis manet, quæ non est Deus; sed manet verè ipse Deus. Deniq; quæ dicuntur Ioan. 16. Si non abiero, paracletus nō veniet ad vos, & si abiero, mittam eū ad vos. Et Ioan. 14. Aliū Paraclitum dabit vobis; nōnisi absurdißimè exponuntur de donis, dona enim nec veniūt, nec mittūtur, nec possunt conferri cū Christo, vt vnus Paracletus cum alio.* Hæc Bellarminus. Quibus hæc Danæi hæresis, tā manifestè conuincitur, vt dedita opera Hæreticus esse voluisse, nō vt sæpè aliàs inscitia in hæresim lapsus videatur. Quæ certè soluere

Z 2 debuit,

debuit, si propositum nō concludere existimabat, aut ostendere ipse, vnde colligat ipsam Spiritus sancti personam non dari, aut mitti, non ita dictatorie hæresim nobis suam obtrudere. Iam vero quod Spirtum sanctum mutare locum negat, cum venit, & mittitur, vere negat; neque enim qui cœlum, & terram maiestate & præsentia sua implet, quicquam relinquit in rebus creatis inane, quo venire postea possit, aut vspiam abesse potest, vt si in terras venerit, cœlum necessario deserat. Quod verò videtur docere, Spiritum sanctū, nisi cœlo relicto, de nouo in locum descendere non posse, in quo prius non esset; hæreticum est. Nā fide Catholica credimus, filium Dei descendisse de cœlo, venisse in terras, missum à Patre. Id scripturæ passim docent, id in Niceno symbolo, Caluiniani etiam canunt; at eum, quis vnquam sobrius dixerit, ita de cœlo descendisse, vt ibi esse secundum diuinitatem desierit? ita missum in terras, vt in ijs non esset, antequam mitteretur? quemadmodum ergò cœlo non relicto potuit descendere Filius, atque ad terras venire, in quibus iam erat; ita potest Spiritus sanctus, & descendere, & venire, ita vt, & in cœlo maneat, & in terris sit, antequam venerit. Ceterum vt videas, quam ineptè missionem, atque aduentum Spiritus sancti Danæus explicarit, cum dixit præsentiam Spiritus sancti illustriorem per ea dona, ac symbola apparere, per quæ tunc extraordinarie agit, seque profert: satis illud argumento esse potest, quod ea dona non magis Spiritus sanctus in nobis, quam Pater, & Filius operatur. Neque vero donorum eorum effectus, si qui ij sunt, à Spiritu sancto magis, quam à Patre, & Filio efficiuntur, omnia enim opera ad extra, communia sunt totius Trinitatis; quare non magis se Spiritus sancti vis, aut præsentia, quam cæterarum personarum prodit, ex eo, quod ea dona, atque per ea dona Deus aliquid operatur in nobis, vnde non magis mitti Spiritus sanctus dicetur, quam Filius. Aliquid igitur aliud necesse est esse mitti Spiritum sanctum, quam dona in nobis producere, atquè ita illustriorem reddere præsentiam suam. Præsertim quod venire, & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum legimus in scripturis, etiam sine vllo signo sensibili. si quis diligit me, inquit Dominus, sermonem meum seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, Ioannis. 14. v. 23. & 1. Io. 4. qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. & Romanorum 5. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum

sanctum,

ſanctum, qui datus eſt nobis. Vbi tam de ſingulis perſonis, quam de ipſo Deo, quod eſt nomen eſſentiæ dici videmus, venire, manere, eſſe in nobis, per caritatem; at profecto caritas, neque ſenſibile ſignum eſt, neque cum ſenſibili vllo ſigno neceſſariò coniuncta; non ergò hoc eſt venire Diuinam aliquam perſonam, aut Deum ipſum ad nos; effectis ſuis præſentiam ſuam illuſtriorem reddere, ac per ſymbola, quæ tunc extraordinarie agit, ſe ſe proferre. Iam quæ ex Apoſtolo citat, ea neque ad rem faciunt, & falſarius eſt Danæus. Nam. 1 Cor. 12. v. 7. ita legimus, vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem, alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, & c. quare primò Danaicum illud gloſſema eſt, non Apoſtolicum dictum: datur Spiritus, hoc eſt declaratio Spiritus; deinde eo loco Apoſtolus loquitur de donis, & de diuiſionibus gratiarum, quæ ſunt in Eccleſia per Spiritum ſanctum; quibus diuerſis donis oſtendit Spiritus ſanctus adeſſe, ac gubernare ſe ſe Eccleſiam ſuam. Ex quibus, quid ad rem ſuam colligat Danæus non video, imo potius ſi donis his manifeſtat Spiritus ſanctus ſe ſe, profecto adeſt, at ea ratione prius non aderat, in animis hominum, qua poſtea adeſt, & qua adeſſe ſe oſtendit, nam dum mouet inſtrumenta illa, quæ accipit ad oſtenſionem ſui, impleri ea à ſe, atque vt templa ſua habitari oſtendit. At implendo mentes hominum, & tanquam templa ſua inhabitando, prius profecto non aderat.

Porrò quod ex. 4. ad Eph. v. 7. citat, ad rem plane non facit, ſic enim ſcribit Apoſtolus. Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Ex quo loco non magis poteſt colligere, quando Spiritus ſanctus dari dicitur, de donorum tantum largitione, ſermonem eſſe; quam Luterum abiecta cuculla, ad ſacrilegas nuptias ex Monaſterio non fugiſſe: qualis enim iſta argumentatio eſt, aut quæ conſequutionis huius neceſſitas, datur vnicuique gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, ergò quando in ſcripturis ſacris fit mentio miſſionis, & aduentus Spiritus ſancti non intelligitur de perſonæ ipſius aduentu, ſed de donis, ac ſymbolis, quibus præſentiam ſuam Spiritus ſanctus illuſtriorem facit? ſed Danæo non tam eſt curæ, vt ad rem, quam, vt aliquid omninò dicat.

3. Sed iam ad incarnationem tranſeamus: vix enim vllum, paulo grauius Chriſtianæ fidei myſterium, attigit, quod non hæreſeos alicuius admixtione commacularit. Libro igitur tertio ad caput

ſextum, & ſeptimum, de Neſtorio loquens, hoc argumentationis eius vitium eſſe docet, quod *quæ de vna Christi natura*, inquit, *per ſe, & propriè enunciantur, illa ad alteram Christi naturam quoque propriè, non ſolum per κοινωνίαν ἰδιωμάτων* aut *συνεκδοχὴν refert.* quibus verbis ſatis luculēter aſſerit, quādo ratione communicationis idiomatū, quæ vnius naturæ ſunt propria, ea enunciantur de altera, per ſynecdochem, non proprie enunciari. Ita Caluiniani ſua illa ad tropos, atqué improprias loquutiones omnia reuocandi licentia, dum nihil niſi tropice, atque improprie credunt, facti ſunt, non niſi tropice, atque improprie Chriſtiani. Nam, vt id, quod inſtat agamus, quando vult Danæus, quæ ſunt vnius naturæ propria, ea non niſi improprie, ac per ſynecdochen de altera enunciari poſſe; de abſtractis ne, an de concretis naturis intelligitur? ſi de abſtractis, vt abſtractæ naturæ ſunt, vt ſi dicas Diuinitas mortua eſt, humanitas eſt omnipotens, aut ſimilia alia, id profecto non ſolum non proprie, ſed nulla plane ratione dici poteſt; niſi ab eo quid Eutychianus velit videri. Quid enim poteſt habere Diuinitas, cuius cauſa mors humanitatis enunciari de ipſa poſſit? aut quis omnino, vel canonicus, vel antiquus ſcriptor, vel paulo grauior Chriſtianus, ita vnquam loquutus eſt? certè ſi quis videre aures, aut audire nares diceret, non improprie loqui, ſed furere diceretur; nam quanquam ea eiuſdem corporis membra ſint, nullus tamen vnquam vſus ſermonis obtinuit, vt actus vnius ad alterum transferatur. quare etiam ſi duæ Chriſti naturæ, partes eiuſdem Chriſti eſſe concederentur (ita enim Danæus plerumquè loquitur) non ideo, quæ ſunt vnius naturæ propria ad alteram abſtractam transferre, dequè ea enunciare poſſemus. Sin autem naturam abſtractam, pro concreto naturæ malit intelligi; vt cum dicimus Diuinitatem mortuā, intelligamus Chriſtum, in quo eſt Diuinitas, mortuū, ad eum plane modum, quo vrbanæ loquutionis ambitio Maieſtatem Regis vſurpat pro Rege, dominationem pro Domino, ac ſexcenta ſimilia: tum verò ſynecdochen in ijs verbis hærere non abnuerim, eamquè loquutionem impropriam eſſe; ſed tropus non in eo poſitus eſt, quod quæ naturæ humanæ ſunt propria, per comunicationem idiomatum de Deo prædicantur, ſed in eo quod Diuinitas, quæ eſt natura perſonæ Verbi, pro perſona ipſa verbi vſurpatur; quanquā ne hæc quidem loquendi formula ferri poteſt, nam, quia ſermo-

sermonis Ecclesiastici consuetudo nunquam eam synecdochen probauit, nemo facile intelliget abstractum pro concreto vsurpari; ideoque ea enunciatione significari videbitur naturam ipsam Diuinam mortuam, ac sepultam, quod Eutychianum esse nemo non videt. Præcipue quod & si abstracta aliqua pro concretis vsurpare consueuimus, quemadmodum paulo ante dicebam; naturarum tamen nomina, pro suppositis, ne sermo quidem quotidianus vsurpat, quis enim vnquam dixerit humanitas Petri mortua est, aut currit, aut loquitur? aut quis ita loquentem non sibilis, atquè cachinnis exceperit? Certè Danæus ipse libro. 2. huius controuersiæ, ad caput 19. hanc loquutionem, mea humanitas salutat tuam, ait non solum impropriam, ac barbaram esse; sed Græcis etiam, ac Latinis inusitatam, quanquam ne quid boni bene diceret, id ipsum extra rem eo loco dixit. Quod si Danæus, cùm ait non nisi impropriè, ac per synecdochen posse enunciari per communicationem idiomatum, de vna Christi natura, quæ sunt alterius propria, de ea loquatur enunciandi ratione, quam, his nominibus intellexit antiquitas, quo se cunquè vertat Nestorianus est, & quidem tum cùm Nestorium reprehendit. Nam eam enunciationem, qua ea, quæ sunt vnius naturæ propria de concreto alterius prædicatur propter communicationem idiomatum probauit vetustas, vt cùm dicimus Deum esse mortuum, aut hominem omnipotentem. At ea loquendi ratio, nisi vnio naturarum hypostatica conuellatur verissima est, ac maxime propria. Nam homo significat suppositum, in quo est humanitas: at suppositum id, in quo est humanitas CHRISTI tam verè ac proprie est omnipotens, quàm verè, ac propriè est persona Diuina, ac verus Filius DEI. Eadem ratione, hoc nomen, DEVS, in his propositionibus significat suppositum, in quo est natura Diuina, at suppositum in quo est natura Diuina, tam verè & propriè mortuum est, quàm verè, & proprie fuit homo. Quare, aut negabit Danæus verè, ac propriè CHRISTVM esse hominem: aut negare non potest, verè, ac proprie DEVM esse mortuum. At nisi diuulsa hypostatica naturarum vnione, dici non potest verbum Patris non esse factum verè, ac propriè hominem, ergò ad Synecdochen hæc enunciandi ratio reuocari non potest, nisi euerso penitus Incarnationis mysterio. Atque ex hoc demum fonte manauit id, quod ad libri eius tertij

caput. 9. scribit Danæus, vt Bezam suum tueatur. *Recte dixit Beza*, inquit, *eam prædicationem esse mere verbalem, ratione naturæ, de qua sic alterius attributum enunciatur; non autem ratione totius personæ, & suppositi Christi, cui re ipsa competit, quoniam vni illius parti re ipsa congruit.* Vbi vides velle Danæum duplicem esse prædicationem; alteram, qua attributum vnius naturæ de altera dicitur, quam non, nisi verbalem esse existimat, alteram, qua enunciatur prædicatum naturæ de persona, atque hanc ait esse re ipsa veram. At si ea prædicatione quam Danæus verbalem tantum esse contendit enunciatur de concreto vnius naturæ attributum alterius, de persona vtiqué illius naturæ prædicatur: vt eum dicitur Deus est mortuus, mors, quæ est humanitatis propria, quia prædicatur de natura Diuina in concreto sumpta, prædicatur de persona Diuina; quare cum ea enunciatio, qua propriũ vnius naturæ prædicatum, dicitur de persona, non tantum verbalis sit, sed re ipsa etiam vera, vel ipso iudice Danæo, reliquum est, vt prædicatio illa, qua attributum vnius naturæ, de concreto alterius prædicatur, non verbalis sit, sed realis. sin autem verbali ea prædicatione enuncietur de natura abstracta prædicatum alterius naturæ, vt si quis diceret Diuinitas mortua est, humanitas est omnipotens, vel simile quippiam, né verbaliter quidem vera ea prædicatio est, quia cum nullo modo Diuinitas mortua sit, sed persona Diuina secundum humanitatem, quo se cumque vertant Hæretici nullam inuenient rationem, qua fulcire prædicationem hanc possint vt supra etiam diximus.

4. Ex. 4. libro, quanquam plures possem, vnam tamen eius hæresim proferam; ea est ad caput. 16. quo capite quædam dubia de descensu Christi ad inferos affert, ac soluit Bellarminus; inter cetera quærit, quãsnam animas inferno carcere liberauerit Christus, cum ad ea loca descendit; ac negat quemquam eorum puerorum, qui peccato originali non dimisso mortui sunt, eductum, ac vindicatum in libertatem fuisse. Quam Bellarmini doctrinam his verbis Danæus exagitat. *Quarta blasphemia est*, inquit, *per descensum Christi ad loca illa inferna non omnes etiam qui in eum sperabant, fuisse à pœnis suorum peccatorum liberatos: nullas enim, ait iste, infantium, qui decesserunt sine circumcisione, seu in peccato originali animas eripuit ex poenis, Christus.* Quibus verbis, vt vides, satis ostendit sentire se, eos, qui in peccato originali decesserint, esse in statu, ac loco salutis, neque impediri eos posse peccato illo, quominus salu-

tem

tem consequantur. si enim infantium, qui in peccato originali mortui sunt, animæ sperabant in Christum, profectò damnatæ, atque in æternum à Deo separatæ non erant: si blasphemus est Bellarminus, qui eas ereptas negat ab inferis, in statu erant eæ animæ redemptionis & salutis: quòd si damnatæ atque in æternum abalienatæ erant à Deo, profectò non ideò negat Bellarminus nonnullos eorum, qui in Christum sperabant, liberatos non fuisse, quia liberatos eos paruulos negat, qui cùm damnati iam essent, in eum sperare non poterant. Vult ergo Danæus, magnus puerorum vindex, atque adsertor, puerorum animas, qui in peccato originali decesserint, saluas esse. Scio Caluinum in ea hæresi esse, vt filios Abrahæ in veteri Testamento, fidelium filios in nouo, sine peccato originali nasci existimet. Ea de re in præsentia non disputo, certè negari non potest, ab Adamo condito ad Christi vsque tempora natos esse quamplurimos, non ex semine Abrahæ, quos, nisi Pelagianum se fateatur, non negabit Danæus, in peccato conceptos ac natos esse, atque ex iis plurimos eo peccato non dimisso decessisse. De iis in præsentia sermo nobis est, eos vult Danæus saluos esse, eam ego manifestam hæresim esse contendo; si enim salutem consequuntur, aut peccato nō soluti, & contaminati intrant in gloriam, aut illis prius peccatum dimittitur. Si maculatos, etiam tum, & coinquinatos peccato intrare eos dixerit in requiem, viderit ipse, qua ratione Scripturæ respondeat Apocalypsis 21. v. 27. clamanti, quòd non intrabit in eam aliquid coinquinatum. Sin autem dimitti prius peccatum dixerit, quàm ingrediatur in cœlum; ergo in futuro sæculo, post mortem datur remissio peccatorum. Neque verò potest dicere veniale illud esse peccatum, quod, quia animam à Deo non separat, neque charitatem ab ea tollit, ideò potest in futuro etiam sæculo condonari; qua enim ratione veniale peccatum est, quod facit filios iræ; neque enim aliud peccatum intelligit Apostolus Eph. 2. v. 3. Eramus naturâ filij iræ, sicut & cæteri, nullum enim est aliud, quod natura habeamus, quodque commune sit omnium hominum, nisi originale peccatum, quod ipsa generatione contrahimus, vt quemadmodum sumus naturâ filij Adæ, ita simus naturâ etiam peccatores. Quod si tantum illud peccatum est, vt reddat filios iræ; tantum etiam erit vt filios reddat etiam damnationis, filios perditionis, filios gehennæ.

5. Iam ex libro 5. in quo de mediatore, eiusque merito pro Caluino, aduersus Bellarminum disputat, vnum seligam, quod hoc loco pro-

co proponam, quanquam enim quantus quantus est, Monotheli-ta est in eo libro Danæus: tamen, quia à Caluini vestigiis, non vsque adeò recedit, nolo priuatim propter communem impietatem, hominem cui priuata non desunt incessere. Ad caput ergo quintum, ad tertiam Bellarmini rationem concedit Danæus aliquam operationem Diuinitatis ad extra, eamque non communem totius Trinitatis, his verbis. *Deitas Christi*, inquit, *quatenus consideratur in persona vnigeniti, non qua est in tota Trinitate, operata est in nostra redemptione.* Porrò eam operationem in solutione quartæ rationis, ait esse Spiritum, vim, & robur, quo CHRISTVS tanta passus est: *Quæ*, inquit, *Deus Christus, seu Deitas* CHRISTI, *subministrauit à se internè, & tanquam pars altera suppositi.* Et in solutione quintæ rationis addit; vnum, atque idem esse ἀποτέλεσμα Diuinæ, & humanæ Christi naturæ, in opere nostræ redemptionis, diuersam tamen diuinæ naturæ ἐνέργειαν, & actionem, ab actione humanæ naturæ. At ἀποτέλεσμα istud, si humanæ naturæ est, creatum quippiam esse necesse est, (neque enim eousque vis creatæ vllius naturæ porrigitur, vt actione sua aliquid increatum attingat) creatum igitur illud ἀποτέλεσμα, ipsa etiam Christi Deitas, vt suppositi illius natura, diuersa sua illa actione attingit. Atque hoc est opus, quod CHRISTI Deitas, vt in persona Verbi, non vt totius Trinitatis natura communis, in opere nostræ redemptionis exequitur. Quæ Danæi doctrina, vel inscitia potius, primò quidem monothelitica est, cùm vnam planè atque eandem operationem, ita vtrique CHRISTI naturæ tribuat, vt ea neque humana planè fuerit, neque planè diuina; nam si planè humana ea fuisset, nihil opus fuisset peculiari illa Deitatis actione, quam iste fingit, sed satis ea fuisset, qua vt communis rerum omnium causa, cum omni homine operatur; Iam planè Diuina esse non potuit, cùm ad operationem planè diuinam, actiua vis naturæ creatæ non pertineat. Quare tertium quoddam comminiscitur operis genus, duarum illarum naturarum ita proprium, vt nisi ab iis coniunctim operantibus, proficisci planè non possit: quòd monotheliticum, aut etiam monothelismo deterius est. Deinde verò concedit creatum aliquid, quod non sit commune totius Trinitatis opus; sed vnius personæ proprium. At cùm eadem sit voluntas atque omnipotentia omnium personarum, ideoque indiuisa Trinitatis sint opera, qua ratione fieri potest, vt

test, vt opus vnius personæ, aliarum item opus non sit? nam voluntati atque omnipotentiæ Verbi subsistentia nihil addit, quare cùm Verbum vult, reliquæ item personæ volunt; cùm Verbum operatur, reliquæ item operantur. Aut si quatenus natura est Verbi, potest aliquid operari, quod non sit Spiritui sancto, ac Patri commune, quid impedit quo minus possit Pater creare aliquid, quod Spiritus sanctus ac Filius non creent? quæue necessitas erit, vt opera Dei ad extra dicamus esse communia?

Status quæstionis, & noua Danæi hæresis, de regula fidei.

CAPVT III.

NIHIL est in hoc controuersiarum negotio, quod aduersarios æquè torqueat, ac disputatio de regula fidei: nam quia negare non possunt certam aliquam, minimeque fallentem rationem iniri oportere, qua controuersiæ fidei tutò finiantur; neque eam volunt admittere, quam à Deo traditam, quindecim ipsis annorum centuriis summa consensione Ecclesia vniuersa amplexa, ac venerata est, suam quisque per se regulam, sibi cudere coacti sunt. Quas vbi nostrorum euicti rationibus, ne speciem quidem vllam habere veri perspexerint; alias subinde atque alias fabricantur. Stulte ne magis, qui ne veritatem videant, sponte sua tenebras quærant; an miserè, qui in interitum ruant voluntarium; an vtrumque, qui perdendæ suæ, suorumque salutis causa sese tantis laboribus atterant, ac lassentur, in via iniquitatis? In his Lambertus Danæus progenitoribus ac magistris suis ingenio & doctrina impar, impietate sin minus superior certè par, suam ipse etiam fidei regulam se dignam excogitauit; quam mihi dedita opera, hoc loco exagitandam, discutiendamque seposui; eam antequam referam, proponam breuiter quæstionis totius statum.

2. Constat inter omnes, ea omnia sine vlla dubitatione credi oportere, quæ reuelauerit DEVS, quia cùm prima, ac summa veritas sit, neque falli ipse, neque fallere potest. Illud in controuersia est, qua tandem ratione dignoscere possimus, quæ sint, quæ non sint à Deo Ecclesiæ reuelata. Aduersarij nostri contendunt, nihil habendum esse in reuelatis aliud, nisi quod in sacris literis contineatur:

ac proinde sacram Scripturam fidei nostræ regulam esse oportere. Nos contrà, & multa esse contendimus reuelata Ecclesiæ, quæ scripta non sunt: neque verò etiamsi omnia in sacris literis contineri confiteremur, quæ reuelata sunt, sacras literas per se solas satis esse ad fidei regulam constituendam, idque his potissimum argumentis ostendimus: Primò, quia potest esse controuersia de sacris ipsis voluminibus: videmus enim ab Ecclesia Catholica multa in canonem recipi, quæ Caluinus ac Lutherus expungunt: nonnulla à Luthero reiici, quæ Caluino placent. Neque verò id recens est in Ecclesia, sed veteribus etiam Hæreticis familiare fuit. Nam Marcion præter Epistolas Pauli, atque Euangelium Lucæ, nullum ferè alium librum canonicum agnoscebat. Manichæi Mosen auersabantur, Matthæi Euangelium, atque Acta Apostolorum inter libros canonicos non numerabant. Denique inter Catholicos ipsos de nonnullis libris dubitatum aliquando est, qui nunc ab omnibus habentur canonici: Cùm ergo ad dignoscendas veras Scripturas regula opus sit, neque Scriptura de seipsa testimonium possit in hac controuersia dicere, opus est aliqua alia regula, qua explorare possimus quæ vera, quæ non vera Scriptura sit. Secundò, quia regula non solùm ipsa per se infallibilis esse debet, sed etiam eiusmodi, vt vitiari & corrumpi non possit: nam si corrumpi atque peruerti potest, vitiata autem potest fallere, dubitari semper poterit integra ne ea, an vitiata sit; quare alia erit adhibenda regula, vt sciamus, vitio ne omni careat: at Scripturam vitiari, atque corrumpi posse, vel librariorum incuria, vel hominum peruersitate, & vitio certo certius est, ac fidem faciunt tam multæ, tamque variæ lectiones, non Latinorum modò, sed Græcorum etiam, atque Hebræorum codicum. Quare Scriptura, nisi ad eam aliquid addatur aliud, fidei regula esse non potest. Tertiò, quia Scripturas, hi vna, hi alia ratione interpretantur; neque verò tam est, aut perspicua Scriptura, vt plures, easque pugnantes interpretationes non admittat: aut hominum mens tam in iudicando similis, vt quæ vni probata fuerit, eadem interpretatio continuò omnibus vera videatur: ita plerumque videmus, quæ à nobis propriè in Scripturis intelliguntur, ea figuratè ac tropicè à Caluinianis intelligi: Vt nihil ferè sit in sacra Scriptura tam apertè reuelatum, quod non possit in aliam longè sententiam distrahi; quare fieri non potest, vt sacra Scriptura sola sit satis, sed adhibendus est etiam interpres aliquis sacrorum oraculorum, qui in ipsis explicandis, nec falli

falli ipſe poſſit, nec fallere, vt certò ſcire poſſimus, quæ vera ſit interpretatio Scripturarum. Neque verò ſatis hoc argumentum ſoluunt aduerſarij, cùm dicunt, Scripturam ſui ipſius interpretem eſſe debere, ita, vt vnum locum per alium interpretemur; ſi enim duobus in locis, eadem de re loquatur in vno propriè, in altero metaphoricè, contendat autem Hæreticus locum eum, in quo metaphoricè loquitur eſſe propriè intelligendum, locum contrà, in quo propriè loquitur, metaphoricè accipi oportere; cuius tandem iudicio ſtandum erit, vter locus propriè, vter metaphoricè explicandus ſit? Exemplo res tota planior fiet. Verba cœnæ Domini, Caluinus cum Sacramentariis metaphoricè intelligi vult, nos propriè intelligimus veterem Eccleſiam ſequuti. De eadem cœna Domini Paulus 1. Corinth. 11. loquens, vocat Panem; ea verba, cum ſuis propriè Caluinus intelligit; nos aliter interpretamur: medius inter vtroſque Lutherus, quia vult, panem ipſum eſſe corpus Chriſti, vtrumque locum propriè interpretatur; explicent, ſi poſſunt aduerſarij, qua ratione hanc controuerſiam poſſit Scriptura dirimere, ſeque ipſam interpretari. Quartò, de doctorum hominum controuerſiis populus non poteſt facilè iudicare, & plerumque etiam videmus, in rebus etiam naturalibus, quæ probabiliora ſunt populo, ea longius abeſſe à vero; id quod in rebus diuinis multò facilius poteſt euenire, quia vim ſuperant humanæ intelligentiæ; quare niſi ſit aliquis conſtitutus in Eccleſia magiſter à Deo, quem errare, ac fallere non poſſe in explicatione Scripturarum, certum atque exploratum ſit: fiet plerumque, vt eæ Scripturarum explicationes multitudini probentur, quæ fidei, atque ipſi verbo DEI minimè congruunt; quia eas maximè probabunt, quæ rem doceant à captu, & iudicio ſuo minus abhorrentem. Quamobrem, vt concedamus ſacram Scripturam, regulam eſſe poſſe ſapientioribus, qui eam intelligunt; rudioribus quidem certè nulla ratione eſſe poteſt regula fidei, niſi ad eas magiſter acceſſerit, qui in explicandis Scripturarum oraculis, errare non poſſit. At regulam fidei vniuerſalem eſſe neceſſe eſt, ita vt ad omnes pertineat, atque omnium fidem dirigat; Ergo ſola ſacra Scriptura regula fidei eſſe non poteſt. Id ipſum exemplo planum, ac manifeſtum faciam. Fuit aliquando hæreſis Anthropomorphitarum, qui humanam Deo ſpeciem, ac membra tribuebant: id imperitæ multitudini multò probabilius eſt, quàm ſi Deum expertem corporis dixeris; nam ſubſtantiam ſpiritualem atque expertem materiæ, &

quantitatis,ægrè doctiores etiam animo concipiunt;& cùm de Deo cogitamus, humana nobis semper imago solet occurrere. Hanc hæresim, si quis multitudini persuadere velit, iisque vtatur Scripturarum locis,quibus Deus ambulare, sedere, scabellum pedũ habere dicitur,quibus manuũ,pedum,faciei,cordis eius mentio fit,quantò faciliùs persuadebit,quàm is,qui à corporis atque concretione materiæ remotum esse Deum,ac purũ planè Spiritum dixerit? aut qua ratione eò multitudinem adducet, vt hæc impropriè ac metaphoricè dicta credat à Spiritu sancto? Argumentis opinor, ac rationibus,quibus Deus expers esse corporis ostendatur: at neque rationes eas,quia subtiliores sunt, potest populus facilè capere; & instabit Hæreticus, non esse Diuinis oraculis fidem, propter humanas ratiocinationes abrogandam: Scripturam disertè, manus, digitos, pedes,faciem,os,brachia,cor, Deo tribuere;hæc porrò sine corpore esse non posse,captiuandam esse mentem,atque intellectum,in obsequium fidei, maioremq; Diuinorum librorum auctoritatem haberi oportere,cuiusuis humani ingenij captu: nam homines errare posse, plerumque etiam solere; Deum,neque falli ipsum, cùm sapientissimus,neque fallere cùm optimus sit, vlla ratione posse. Id si contingeret,vt aliquando contigisse memoriæ proditum est,vtram nam partem sequi populus, aut quam fidei suæ regulam in re tam lubrica adhibere debebit, si nullus est in Ecclesia à Deo Scripturarum interpres constitutus, cuius iudicio standum sit? Quintò, videmus eos ipsos,qui ad Scripturarum iudicium prouocant,& solo Dei verbo finire controuersias volunt, inter se dissidere, atque in nouas quotidiè Sectas discindi, neque posse solo Scripturarum iudicio conciliari;cùm vtrique Scripturas pro se stare, suamque interpretationem veram,ac genuinam esse contendant:& plerumque ita concurrere, vt vinci alteri non possint ab alteris, sed aut discedi à certamine, incerta victoria, aut nunc hos, nunc illos succumbere. Contrà verò in Ecclesia catholica summam esse vnitatem fidei, atq; ita inter Scholasticos res agitari, vt cum reliquis in rebus, quæ ad fidem non pertinent,magnis contentionibus agatur: in rebus ad fidem pertinentibus,nulla vnquam dissensio sit, quia regulam habemus fidei nostræ,quę auditis partibus fert sententiam,quam omnes summa cũ veneratione amplectimur,& tuemur: ergo sola Scriptura ad finiendas fidei controuersias satis non est,neq; nisi animatus cõtrouersiarum Iudex sufficit ad finem controuersiis imponendum.

2. His,

2. His, ac multis aliis rationibus conuicti aduersarij, ad sacra ipsa oracula Scripturarum addunt internum Spiritus sancti motum, quo Doctore, certum est errare non posse animam; & sine quo Scripturas intelligi ritè non posse, docet Petrus Apostolus epistola sua 2. cap. 1. v. 20. 21. Sed ne hoc quidem effugium satis illis esse potuit. Primò quia scimus, Satanam transfigurare se solere in Angelum lucis, ita vt non facilè dignoscatur. Quare monet nos beatus Ioannes epistola 1. capite 4. vers. 1. non omni Spiritui credere, sed probare Spiritus, si ex Deo sunt. Necesse igitur est esse aliquam regulam, qua probare possimus, atque examinare Spiritus, si ex Deo sunt, quæ sine dubio erit regula fidei; nam si ipso primo aspectu Spiritus dignoscerentur, non esset opus moneri nos, vt antè probemus Spiritus, quàm credamus: nam oblatos iam statim dignosceremus. Eam difficultatem, vt soluant quidam, dixerunt Spiritum per Scripturam probari oportere, vt quando dictat consentanea Scripturis, tunc Spiritus sanctus esse intelligatur, quando verò aliena, tunc malus esse credatur Spiritus. Sed ea responsio, qua mirificè delectantur Aduersarij, manifestus est, ac planè inutilis circulus, si enim Scripturis vtor, ad probationem Spiritus, notas eas mihi esse necesse est, nam ex ignoto, qua ratione argumentabor? Si autem iam intelligo Scripturas, inutilis mihi est iste Spiritus, quem adhibeo Scripturarum interpretem. Rursus, si Spiritu vtor, ad intelligendas Scripturas, notum mihi iam esse debet, Spiritum, quo agor bonum, ac diuinum esse Spiritum, ac proinde rectè me eo magistro Scripturas interpretari: quare, si Spiritum per Scripturas, Scripturã exploro per Spiritum, fit, vt & Scripturæ notiores mihi sint Spiritu, & Scripturis idem Spiritus notior; hic autem est irrisus à Dialecticis circulus. Neque verò quicquam efficiunt, cùm respõdent, ex locis Scripturæ quosdam vsq; esse adeò claros, & apertos, vt de eorũ interpretatione dubiũ esse non possit; quosdã obscuros & inuolutos, ad quorũ explicationem opus sit magistro Spiritu sancto: porrò eam esse explorandi Spiritus regulam, vt quando iis congruit, quæ apertè traduntur in Scripturis, cognoscatur esse bonus, eumq; deinde adhibeamus interpretẽ obscurorum. Hac, inquã, responsione aduersarij nostri nihil efficiũt: nam si idem planè reuelatur loco illo obscuro, atq; difficili, ꝗ aperto, ac manifesto, idque adeò nobis constat, vt dubium esse nõ possit, quin eadem sit loci vtriusq; sententia, nihil opus est interni instinctu Spiritus, ad loci

ad loci inuoluti sententiam percipiendam. Sin autem, aut aliud vno loco, aliud alio traditur, aut licèt idem re vera vtroque in loco Scriptura doceat, id tamen ita esse nobis non constat, qua ratione, ex eo quòd spiritus noster cum eo loco consentit, cuius est aperta sententia, certi esse poterimus, nos eum quoque locum ad Spiritus sancti mentem interpretari, de quo controuersia est? nam ij quoque, qui de loci difficilis intelligentia, à nobis dissentiunt, nobiscum de loci minimè dubij interpretatione consentiunt: quare cùm eorum Spiritus in loci facilis intellectu bonus sine controuersia sit, & tamen in loci difficilis explicatione fallantur, fieri potest, vt qui bono Spiritu ducuntur, in loci vnius explicatione: iidem in alterius interpretatione ducantur erroris Spiritu. Non est igitur hæc certa ac minimè fallax regula dignoscẽdorum Spirituum, sed aliquam aliam inueniri necesse est. Quanquam ne si id quidem verè dictum concederemus, aduersarius vim difficultatis euaderet; nam quia de sacris ipsis voluminibus interdum oritur dubitatio, canonica ne ea esse censeantur, an secus: vel interdum hunc motum Spiritus ad genuinos sacræ Scripturæ libros, à spuriis dignoscendos, regulam adhibebimus, vel alia regula erit opus, qua dirimi hæc controuersia possit; si Spiritu sacrorum quoque voluminum veritatem explorabimus, quod aduersarij volunt; profectò omnium sacræ Scripturæ librorum iudex, atque vt ita dicam explorator est Spiritus, totum enim sacrorum librorum canonem in ius vocari posse docuit nos Suuenckfeldij ac Libertinorum insania, qui literam occidentem vniuersum verbum scriptum vocare ausi, ad internum ac viuificantem, vt aiebant, Spiritum prouocarunt. Eam igitur hæresim, vt agnoscere ac fugere possemus, si regula vtendum erat, interna Spiritus motione; omnium sacræ Scripturæ voluminum iudex Spiritus constituendus erat. Deinde verò quoscunq; libros in canonicis habemus, si non temerè hanc eis authoritatem tribuimus, ideò habemus, quia exploratum ac certum aliqua ratione nobis est, eos esse canonicos. Quòd si explorandorum sacrorum voluminum, solus Spiritus regula est; omnes profectò Spiritu explorari necesse erit. Si autem totius Scripturæ iudex est Spiritus, intrinsecus mouens animum, aut per eam ipsam Scripturam, de qua iudicat, explorabitur ipse; atque ita redimus ad circulum, aut inexploratus ipse, minimeque probatus relinquetur. Eam ob rem acutiores alij, vt incommodum hoc effugerent dixerunt, Spiritum, cùm adest, ipsum testimo-

tèstimonium perhibere de se, ac fidem sui, animo, quem afflauerit facere; quare ad aliam normam exigi Spiritum sanctum non oportere, sed ei cum adfuerit obsequendum. Sed ne hi quidem effugerunt difficultatẽ, tum quia, si Spiritus ipse cum adest, testimonium perhibet, atque animam certam sui reddit, frustrà moneremur, ne omni Spiritui credamus, neque quisquam planè deciperetur in Spiritu dignoscendo: nam nisi eum in se Spiritum experiretur, qui certam redderet animam, se non falli, certus esset, eum instinctum Spiritus sancti non esse: at multos tamen decipi, & credere Spiritui suo, non ei, qui desursum est, certo certius est: veritas enim vna est, sectæ de eadem re dissidentium plurimæ, quæ omnes Spiritu authore, atque interprete Scripturas explicare se gloriantur. Eam ob rem cùm Spiritus etiam erroris, ita Spiritum Dei esse se simulet, vt animam certam reddat se Spiritu veritatis afflari, atque ita decipiat, regulam aliquam inueniri necesse erit, qua dignoscamus, sitne testimonium veri Spiritus, an ficti illius, & seductoris, qui diuini Spiritus speciem induit, vt decipiat animas. Deinde Caluinus & Lutherus in multis consentiunt, in tota re Sacramentaria differunt, nonnullis in rebus nobiscum sentiunt, in plerisque dissentiunt: quando ergo Scripturas ita interpretatur Caluinus, vt cum Luthero conueniat, Lutheranis etiam testibus, Spiritu Dei ducitur; quando à Luthero dissentit, erroris Spiritu luditur. Dicant ergo Lutherani, quare non discreuerit Caluinus testimonium Spiritus sancti præsentis, à Spiritu falsitatis, quem sequutus est cum à Luthero discessit. Idem de Luthero Caluinianos interrogo, idem de nobis, quos in mysterio Trinitatis atque Incarnationis rectè sentire, aliis in rebus errare vtrique existimant, idem, inquam, de nobis vtrosque interrogo, nos certè tam firma atque inconcussa fide credimus, quæ contra monstra illa nostri sæculi docuit Synodus Tridentina, quam certò credimus ea, quæ Nicæna, quæ Constantinopolitana, quæ Ephesina, quæ Chalcedonensis, quæ reliquæ docuerunt, de Trinitatis atq; Incarnationis mysteriis, neque istud Spiritus discrimen agnoscimus. Addo verò etiam illud, velintne aut Caluiniani Caluinum, aut Lutherani Lutherum, aut Pacemontanum Anabaptistæ, aut Tritheistæ Gentilem, aut noui Arriani ac Samosateniani Seruetum, aut aliquem alium è suis progenitoribus, omnia sua volumina, omnibus in rebus dictante Spiritu sancto exarasse, an secus, illud si dixerint, libros ergo eos canonicos esse volunt, nihil enim aliud ad li-

brum canonicum requiritur; nisi vt dictante sancto Spiritu scriptus sit: at hunc honorem, neque Beza Idolo suo Caluino, neque Philippus Luthero, neque Lutherus ipse sibi, qui tam facilè quæ vno loco affirmat, alio negat, neque cuiquam auctorum suorum, quod ego sciam, nunc vsque vlla secta habere voluit: sin autem in iis quoque parentum suorum libris næuum aliquem inesse fatentur, quem ipsi non viderint; profectò hanc Spiritus sancti præsentiam dignoscere in se ipsi non poterant, qui æquè affirmarint ea, quæ Spiritu sancto authore didicerant; atque ea, quæ, quia falsa sunt, à Deo discere non potuerunt. Præterea vel donum hoc Spiritus sancti, omnibus fidelibus concessum dicunt, vel iis tantùm, quos Spiritus sanctus constituit in Ecclesia Pastores, atque Doctores; si omnibus id concessum volunt, quorsum igitur Doctores in Ecclesia à Spiritu sancto constituti sunt? quorsum donum interpretandi Scripturas, cùm id æquè omnium sit? Sin autem iis tantùm hoc donum conceditur, qui ad docendam Ecclesiam vocātur à Deo: qui eo dono carēt, qua regula fidē suam exploraturi sunt? Respondere Aduersarij possunt dari omnibus Spiritum ad dignoscendum, quis Doctor, quæ verè doceat. At si hoc verè dici ab hoc Doctore, illud falsò, Spiritu sancto authore cognoscunt, profectò cognoscere debent hunc esse verum Scripturæ sensum, illum contrà adulterinum ac falsum: idque non à Doctore extrinsecus sonante verba, sed à Deo intrinsecus illuminante cor; at si hoc à Deo iam docti sunt, ideoque de Doctorum interpretationibus iudicant, inutilis tota hæc est Doctorum interpretatio; ac donum illud planè superuacaneum in Ecclesia. quorsum enim donum docendi atque interpretandi Scripturas, cùm ij, qui docendi sunt, tantò præstantiorem habeant magistrum Spiritum DEI?

3. His permotus Danæus, cùm neque solam sacram Scripturam ad soluendas omnes fidei quæstiones satis esse, neque hæreticum illum, ac peculiarem Spiritum, quippe qui Spiritus est vertiginis, consistere posse animaduerteret: è Caluini atque Hæreticorum castris defectione facta, ad Ethnicorum signa transfugit, ac post longas ambages, & circuitus verborum, ad lumen naturale rationis omnia reuocat. Pollicitus enim sæpius, & quidem gloriosè notam se minimè dubiam, planeque certam dignoscendæ sacræ Scripturæ, veræq; eius intelligentiæ traditurum: tandem ad finem libri tertij primæ controuersiæ, ea de re digressionem instituit, in qua digressione, quan-

quanquam ipse, vt est erroris Spiritus, etiam ordinis inimicus, sine vlla methodo disputat, atque ipsum inuertit ordinem tractationis hæc tamen ferè docet.

1. Doctrinam diuinam non quamcunquè veritatem, quæ à Deo proficiscatur; sed eam duntaxat dici debere, quæ ad Deum colēdum & agnoscendum pertinet. Sic enim post suam illam notam traditam scribit. *Nec obstat, quod obiici potest, ergo quæuis veritas, seu medica, seu philosophica erit diuina doctrina; nos enim, de ea duntaxat hic agimus, quæ ad pietatem, id est Deum, & colendum & agnoscendū spectat & pertinet. Omnis enim alia veritas etsi donum Dei est, quia tamen aliud subiectum, quàm Deum, tractat, neque cœlestis, neque diuina veritas, aut doctrina dici propriè potest.* 2. Eam doctrinam, quæ nos docet vnius Dei gloriā in solidum quęrere, esse verè, certò, asseueranter diuinā, & cœlestem doctrinā statuendam. 3. Doctrinam, quæ nos docet, nostram, aut creaturarum cœlestium vel terrenarū gloriam quærere, aut eam stabilit, ac præfert gloriæ Dei; eam verò neq; diuinam, neq; cœlestem censeri oportere. 4. Quæ nam doctrina eiusmodi sit, quæuè nō sit, naturali suo lumine posse vnumquemq;, qui modò non sit insanus dignoscere, ac iudicare: ac proinde nō esse ea in re iudicium Episcoporum, aut Ecclesiæ requirendum. Sic enim ipse scribit post probatam suam notam. *Porrò hæc nota & regula, quanquam iis notior est, qui verè, piè, & assiduè verbum Dei scriptum tractant; tamen neque solis iis cognita est, sed & aliis quoque, neque ex eorum duntaxat iudicio pendet. Nam quemadmodum Deus, vt redderet omnes homines inexcusabiles, iis omnibus reliquit aliquas reliquias Iustitiæ agnoscendæ, & discernendæ scintillas, sic etiam discernendæ veræ pietatis.* Et post pauca explicans locum Pauli 1. Cor. 2. v. 15. *Intelligitur,* inquit, *de arcana illa, & salutis per Christum impletæ doctrina, non autem de nota illa, & regula generali, quà vera & diuina de Deo doctrina, à falsa distingui, discerniq; potest, quam etiam animalis homo, qualem hîc nominauit Paulus, capit, & intelligit, vel ex solis naturalis lucis reliquiis.* Et infrà: *Ex superioribus autem,* inquit, *apparet, non magis Pontificiorum Episcoporum qui scilicet Dei verbum, vel omnino ignorant, vel dicis solùm causa tractant iudicium, & Concilium, ad distinguendum, quæ sit verè doctrina diuina, quæ non sit, non magis, inquam, requiri, quàm quorumuis hominum non insanorum.* 5. Omnia alia, quæ de Deo tradit fides Christiana, præter mysteriū Incarnationis & redemptionis, nota esse lumine naturali: præfatus enim relictas à Deo fuisse hominibus scintillas dignoscendæ veræ

pietatis, idque sibi velle Paulum Rom.1.v.17.18.19. obiectioni, quæ fieri aduersus eum posse videbatur, his verbis respondet. *Quod dicitur Dei cognitio esse quæpiam arcana doctrina, 1. Cor. cap. 2. v. 7. non omnibus nota, pertinet ad cognitionem salutis, & redemptionis hominum, in qua mirus ille salutis humanæ per Christum modus declaratur. Est enim hæc doctrina nobis mysterium.* 6. Coronidis loco illud addere se tandem dicit, cuius causa tota ea instituta disputatio est. Ex omnibus scriptis, quæ ex illa nota, diuina, & sacra cognosci possunt: eam solam sacram Scripturam, & canonicam fuisse dictam, quæ immediatè Dei iussu scribi præcepta est. *Id quod,* inquit, *non magis Concilia Pontificia definierint, quam quiuis pius ex veteri historia.* His sex dictis, tota Danæi de regula fidei, deque nota dignoscendæ sacræ Scripturæ, ac veræ eius interpretationis, doctrina continetur, quam capite sequenti examinabimus.

Danæi, de fidei regula, doctrina examinatur.

CAPVT IV.

STATV quæstionis, ac Danæi de fidei regula commento, capite superiore propositis, non difficilè hominis confidentissimi inepta, atque imperita blasphemia hoc capite refelletur.

1. Quod enim primo illo dicto continetur, eam doctrinam, quæ quamuis à Deo proficiscatur, ad Dei tamen cognitionem eiusquè cultum non facit, sacram, aut Diuinam doctrinam non esse, hoc inquam nulla ratione ferendum est; nam si id verum esse concesseris; aut erit aliqua sacræ scripturæ pars, quæ ad sacram Doctrinam non pertineat; aut multa, quæ in scripturis, sinè controuersia canonicis continentur, partes sacræ scripturæ nō erunt: at neutrum horum ferendum est. Alterum porrò ex his necessariò sequi ex eo manifestè colligitur; quod multa sunt in sacris libris, q̄ historias continēt, neq; ad cognitionem, nequè ad cultum Dei spectantes. Multa quæ nihil docent, nisi planè morale, ciuile, aut naturale, quæ ad cultum, aut cognitionem Dei non faciunt. Aut ergò eæ sacræ scripturæ partes non sunt, aut aliqua, & quidem non exigua Diuinæ scripturæ pars ad diuinam doctrinam non pertinet, aut certè falsum est eam dumtaxat diuinam doctrinam dici, quæ ad cultum & cognitionem Dei facit. Quod ad historias spectat, ex libro Genesis multa proferam,

plura

plura prætermittam, quæ qua ratione ad venerationem Dei, eiusque cognitionem faciant, doceri à Danæo velim. Serpentis ne, an alterius animalis ſpecie, ad primos parentes tentator acceſſerit, quid facit ad cultum, & cognitionem Dei? aut ſi facit, cur ab Euangeliſtis narratum non eſt, qua ſpecie Domino, ſeſe tentator obtulerit? folijs ne ficus, an pampinis vitium, an alio frondis genere, nuditatem ſuam poſt peccatum primi homines texerint: quot, qui, quantiquè fluuij egrederentur de Paradiſo, aut an vllus omninò eſſet in eo loco fluuius, narrari ad Dei cognitionem & cultum, quid interfuit? An cognoſci Deus, & coli ſatis non potuit, niſi Scriptura narraſſet, quos Cain filios genuiſſet? aut quibus parentibus progenitus, quas vxores duxerit, quid cum eis loquutus fuerit, quos ex iis liberos ſuſceperit Lamech? Cauſam expreſſit Moſes, cur eo nomine Noe ſit appellatus: hoc ne etiam ſi neſciremus, non ſatis haberemus ad colendum, cognoſcendumque Deum præſidij? quid, quæ narrantur de columbæ & corui emiſſione ex arca, de plantata à Noe vinea, eiuſque ebrietate; de rixa inter paſtores Abrahami, & Loth, de eorum ſeparatione, de ebrietate, & concubitu Loth, ea ne etiam tam ſunt ad Dei venerationem, ſcientiamq; neceſſaria? Inueniſſe Iſaacũ in agro, quo meditãdi cauſa egreſſus erat Rebecca cum ad eum duceretur, ſeque ipſa pallio operuiſſe deſcribitur. Eſau, & Iacob diuerſa ſtudia, eorumquè inimicitiæ, ac reconciliatio; Duo Iacob matrimonia, atq; vxorum eius inter ſe diſſidia narrantur; additur etiam hiſtoria de aduectis ex agro mandragoris; hæc omnia ſcriptura ſi ſiluiſſet, magnam videlicet Religionis, Diuinæquè ſcientiæ partem deſideraremus. quarè aut hæc omnia, atq; his ſimilia ſexcenta, deleamus ex libro Geneſis; aut vt morem Danæo geramus, ad ſacram, & cœleſtem doctrinam, eam ſcripturæ partem pertinere negemus. Iam illa præter doctrinam phyſicam nihil continent: Sarræ conceptum, quia, & ipſa, & vir eius, prouecta iam ætate erant, deſierantq; ei muliebria fieri, fuiſſe difficiliorem. Oues, quas Iacob paſcebat, partus concepiſſe varios, & maculoſos; quia opportunè eis virgas varias Iacob obiecit. Maſſam ficorum ad emollienda apoſtemata vim habere, quo remedio vſus eſt Iſaias, ad curãdum Ezechiã. Serenitatis, aut pluuiæ futuræ indicia eſſe, ſolis occubitũ aut ortum quo Phariſæos vſos, & quidem rectè teſtatur Dominus Matth. 16. Modici vini vſum, ijs, qui infirmo ſunt ſtomacho, & valetudinarijs vtilem eſſe, quod remedij loco præcepit diſcipulo ſuo Paulus. Hæc

igitur, atque his similia, quia medica, aut physica sunt, quamuis Dei ipsius ore tradita, & sacris consignata literis, ad cœlestem doctrinam non pertinent? Imò si libri ij, quos accepta diuinitus sapientia Salomon de plantis exarasse scribitur, 3. Reg. 4. incipiens à cedro Libani, vsque ad hysopum, quæ est in pariete, eos Danæus, aut in sacris voluminibus non haberet, aut sacros illos quidem, ac diuinos libros, sed doctrinam, quæ iis contineretur, sacram dici oportere negaret? Iam verò in libris, quos Sapientiales vocant, quàm multa sunt, quæ præter præcepta ciuilis ac moralis vitæ, nihil continent? In libro Prouerbiorum Salomonis, tam multa traduntur huius generis, vt si ea remoueas, librum ipsum remouisse videare. Afferam nonnulla exempli gratia, cap. 6. à v. 1. ad 6. monet fideiussorem, qua ratione se gerere debeat. *Fili mi*, inquit, *si spopondisti pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus; fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ, eruere, quasi damula de manu, & quasi auis de manu aucupis.* Quid hîc, quod ad Dei cognitionem religionemue pertineat? quid tota ea, quæ sequitur increpatio pigri, ignaui, atque impigri hominis collaudatio, ad versum vsque duodecimum? *Vade*, inquit, *ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cùm non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat. vsque quò piger dormies? quando consurges à somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paulùm conseres manus, vt dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies, quasi vir armatus, &c.* Hæc tota oratio, quid habet, quod nos ad cognitionem Dei, eiusque religionem euehat? Porrò totus Prouerbiorum liber, & reliqui sapientiales, his præceptionibus pleni sunt: vt capita integra interdum reperias, quibus vix quicquam aliud continetur. vide cap. 23. 27. 29. ac 31. Prouerbiorum, vbi de laudibus bonæ matrisfamilias agit Sapiens. Quòd si libros ipsos legis inspicere velimus, quàm multa reperiuntur, quæ censorio hoc Danæi decreto resecentur? Exempli gratia nonnulla proferam ex cap. 22. Deuteronomij, vt reliqua lector ipse consideret. Auem nido incubantem teneri vetat Dominus, pullos teneri permittit: Vineam altero semine seri vetat; non vult arari in boue simul, & asino, neque vestimentum adhiberi, quod

lana,

lana, linoque contextum sit: funiculos iubet fieri per quatuor partes pallij: huiusmodi præceptis, nihil in lege Moysi frequentius: ea porrò quantopere conducunt ad cultum & cognitionem DEI? Denique quæ Paulus 1. Corinth. 11. præcipit, vt velatæ orent mulieres, aperto capite viri; Danæus in censura lib. 4. 1. controuersiæ, ait, ad decorem tantùm Ecclesiæ, non ad fidem, aut religionem pertinere; ea ne igitur etiam erunt è sacra Scriptura, atque doctrina cœlitus tradita, amputanda? quod ille, quanquam non inuitus concesserit, qui puerile ait esse, si quis dicat, necessarium esse ad salutem, credere, quòd vir aperto capite orare debeat; aures tamen Christianæ non ferent, quæ norunt diuina oracula, qua par est, veneratione excipere. Neque quicquam leue esse existimant, quod dignum duxerit Maiestas Diuina, de quo præciperet, aut moneret. Dixit Deus per Apostolum, non decere, vt mulier aperto capite, vir cooperto, oret in Ecclesia; an parum sibi blasphemus Danæus esse videbitur, si decere id affirmarit? Nam si decet, profectò Deus, qui ea verba dictauit, aut falsus est ipse, qui non decere existimauit, quod re vera non dedecet, aut fallere voluit, ac mentiri. Vtrumlibet Danæus dixerit, se, hoc est Hæretico, ac blasphemo homine digna dicturus est. Denique sic argumentor; nota illa cœlestis doctrinæ dignoscendæ, quam in ea digressione tradit, eadem est regula dignoscendæ veræ Scripturæ, eiusque interpretationis: at hæc, quæ nunc vsque numerauimus, cœlestis doctrina non sunt, quia ad cultum & cognitionem Dei non faciunt, ergo aut ad Scripturam hæ partes non pertinent, aut ea nota ad Scripturas dignoscendas non est satis.

2. Alterum Danæi dictum, quo certum sacræ Scripturæ, eiusque germanæ interpretationis characterem assignare nititur, primò quidem æquiuocatione laborat; deinde errorem continet; tertiò notam ignotam, atque obscurum, ac dubium characterem assignat. Æquiuocatio in eo posita est, quòd cùm doctrinæ cœlestis & diuinæ nomine, plura significentur, ille significationem variat: quando enim quærimus, de regula fidei, sacra & diuina doctrina, idem planè significat, quòd doctrina cœlitus, ac diuinitus reuelata, quæque Deum habeat auctorem, eo modo quo Platonicam, aut Aristotelicam Philosophiam, dicimus, cuius auctor est Plato, vel Aristoteles: at Danæus de doctrina diuina hîc loquitur, quæ de Deo rebusque diuinis est, siue ea humano ingenio inuenta, siue

siueDiuinitus reuelata sit: quare etiam si concederemus, ea nota, quam is assignat, discerni ac diiudicari posse, quæ doctrina vera de Deo, quæ falsa doceat: non tamen continuò efficiet id quod pollicitus estDanæus.Nam cum doctrina deDeo,rebusquè Diuinis vera vel ope humani ingenij, vel per reuelationem Diuinam haberi possit;sciemus quidem eius notæ & characteris indicio, eam esse veram de rebus Diuinis doctrinam,vtrum autē esset reuelata diuinitus,an humanę mentis industria cōparata non possemus scire eius characteris ope. Error porrò manifestus est,in eo,quod vult omnem doctrinam,quæ vera de Deo docet,ad regulam fidei pertinere. si enim eam, quam naturaliter comparamus, quæquè nostris ratiocinationibus nititur,excludit,vbi tandem ista nota est,quam toties pollicitus est, atq; à cæteris ignoratam, sibi vni perspectam esse gloriatur? nam ea, quam hoc dicto attulit, omnis doctrinæ, quæ vera de Deo docet;non eius quæ regula est fidei,nota fuit. Sin autem ad regulam fidei spectare vult quicquid deDeo,verè cognoscimus,quacumquè id ratione sciamus:ea quoquè,quæ Philosophi Ethnici, docuerunt adDiuinos libros,ac sacram doctrinam pertinebunt;nequè aut verbo tātum Dei scripto, quod aduersarij volunt,aut etiam per manus tradito, quodEcclesia Dei credit: sed etiam humanis rationibus ac decretis fides nostra innitetur. At qua ratione fides erit? fides enim est assensus firmus propter auctoritatem dicentis, cuius igitur auctoritatem sequemur? Philosophi ne eius, qui eam veritatem inuenerit? at hæc humana fides est, non Diuina: neq; enim Diuina, sed humana erit auctoritas eius,cui credimus; at fides ea, quaChristiani credunt Diuina est;Deus est is,cui credidit Abraham, & reputatū est ei in Iustitiam; cuius igitur auctoritatem sequemur? Dei ne? at qua ratione, quibus de rebus Deus non loquitur, aut reuelat,quicquam ei credere possumus? aut quę potest esse Dei non dicentis,sed tacentis auctoritas, vt ea moueat ad credendum? Demonstratione potius inducemur ad credendum? at hæc non fides est sed scientia. Atquè si cui ea in re credimus, nobis ipsi, ac nostro ingenio credimus,à quo rem eam,quam veram esse putamus, rectè percipi existimamus. Ideoq; assentimur veritati propositæ, quia in ea dispicienda non falli nos arbitramur. Deniquè Danæus, ipse, in censura lib. 4.reprehendit Bellarminum,quod doceat,solam sacram scripturam non esse totalem regulam fidei nostræ, vult igitur omnem doctrinam, quæ ad fidem nostram pertineat esse sacram scripturam;quod si ea,

si ea, quæ humanis comprehensa sunt rationibus, ad fidei nostræ regulam spectant, Ethnicorum etiam Philosophorum libri, partes erunt sacræ, ac diuinæ scripturæ. Iam verò meras nugas, atquè ineptias esse, neque vlli omnino vsui esse posse Danaicum hunc dignoscendæ cœlestis disciplinæ characterem, luce meridiana clarius est. Nam quemadmodum ad dignoscendum quæ doctrina vera, quæ falsa doceat, satis non est nosse, eam doctrinam amplectendam esse, quæ vera docet, eam reiiciendam, quæ à veritate abhorret; quia difficultas dignoscendæ veræ doctrinæ, non in eo posita est, vt sciamus veritatem amplectendam, abhorrendum esse à falso: sed in eo, vt ex multis disciplinis, quæ se verum continere profitentur, dignoscamus, quæ veritatem inuenerit, quæ eam inuenisse se mentiatur: ita etsi nemini, qui modo sui sit compos, dubium esse potest, quin ea doctrina, quæ re vera Dei gloriam asserit, & confirmat verissima sit, cum nihil nisi verum ad verám Dei gloriam, facere possit, illud tamen obscurum, atquè inuolutum est, quæ tandem ex multis doctrinis, quæ Dei gloriam quærere se profitentur, reuera Dei gloriam asserat, quæ ab ea, per simulationem quærendæ diuinæ gloriæ, nos abducat; quam ad rem dignoscendam non plus est in hac Danæi nota præsidij, quam ad diiudicandum, quæ disciplina vera, quæ falsa doceat, futurum esset, si quis hunc dignoscendæ veritatis characterem afferret, vt quæ vera sunt amplectamur, quæ falsa reiiciamus. Id ipsum, quo planius sit, exemplo rem totam explico. Negant Arriani, ad veram Dei gloriam pertinere numerum personarum in Deo; affirmant, qui rectè sentiunt; disceptator accedat Danæus, ac litem adhibito hoc suo charactere diiudicet; qua tandem ratione probaturus est, numerum personarum in Deo poni oportere, ex eo quòd cœlestis ac diuina doctrina est ea, quæ Dei gloriam asserit? affirmabit nimirum, numerum personarum in Deo credendum esse, quia id ad Dei gloriam pertinet, at hoc est principium petere, cùm id ipsum Arriani negent, atque in controuersia sit: alias igitur rationes adhibebit, quibus id probet; ignota igitur erat ea nota, quam rationibus demonstrari necesse fuit. Adde verò etiam illud, quod vt in iis rebus, quæ natura sua, vel coniunctæ cum Dei gloria sunt, vel ab ea abhorrent, locum aliqua ratione, hæc Danæi nota habere posse concedatur: in iis certè, quæ quia à Deo institutæ sunt, cum eius gloria sunt coniunctæ, locum non potest habere; cùm enim ea vna ratio sit, cur in cultu ac reli-

gione sacrorum, quæ Deus seruanda constituit, ea seruari spectet ad gloriam Dei, quia ipse seruari præcepit: nulla ratione scire potes, vtrum eorũ quippiam ad Dei gloriam pertineat, nisi aliundè noueris id fuisse institutum à Deo. Ita ritus ac ceremonias legis à populo Israëlitico seruari, spectabat ad Dei gloriam; nos ab iis abhorrere, ad Dei gloriam spectat, quia iis nos abstinere vult Deus, quæ ab Iudæis iusserat vsurpari. Ita Baptismi, atque Eucharistiæ vsum, cum Dei gloria coniunctum esse fatentur Aduersarij, quia Christi institutionem agnoscunt, idem dicturi de reliquis Ecclesiæ Sacramentis, si ea quoque à Deo instituta fuisse crederent. In his igitur, quæ ad cultum & gloriam suam pertinere Deus voluit, quem locum Danaicus iste character habere poterit? Nam si instituta esse à Deo iam sciueris, nihil est opus nota, & charactere, cuius indicio summa cum veneratione ea vsurpanda esse scias. Sin autem de institutione ipsa dubites, qua ratione scire poteris, vtrum ea spectent ad Dei gloriam, cum hoc vno nomine ad Dei gloriam faciant, quòd Deus ea vsurpari præcepit? ita egregius hic Scripturarum ac cœlestis doctrinæ characteristes, characterem adhibuit, quo nihil aliud, nisi inscitiam, atque imperitiam eius, certò ac sine vlla dubitatione dignosceremus. Sed reliqua videamus.

3. Quanquam autem suam hanc regulam probare, rationibus nititur: nihil tamen efficit Danæus. Prima eius ratio ea est. Quicunque cognoscit vllum esse Deum, cognoscit ad eius gloriam omnia referri oportere, ergo vbicumque viderit eius gloriam quæri, scit eam doctrinam veram, ac diuinam esse. Respondeo hoc argumentum nihil concludere: nam vt concedamus naturali lumine cognosci, Deum esse præ omnibus colendum, atque ad eius gloriam omnia referenda; negamus tamen naturali lumine, per se, ac primo veluti aspectu cognosci, hoc potius, quàm illud fieri, aut credi, pertinere ad maiorem DEI gloriam: quare etiam si sciamus, illam esse veram doctrinam, quæ maiorem Dei gloriam verè quærit, quia tamen nescimus, hocne an illud verè ad maiorem Dei gloriam spectet, hac regula vti non possumus. Secunda ratio eodem planè spectat. Opificium ad opificis sui laudem spectare ac referri debet. Ergo, qui Deum esse aliquem nouit, idem hæc reliqua, quæ sunt, opificium illius esse fateatur necesse est, ac proinde ad Dei ipsorum opificis gloriam referenda omnino esse. Respondeo, duplex in hac ratione vitium esse,

esse, alterum, quod, etiamsi concessero, satis cognosci, ex creatura mundi, ad Dei gloriam omnia referri oportere, ac proinde rectè philosophari, qui doceat Dei gloriam in rebus omnibus quæri oportere: tamen non constat, aut ex hac, aut ex vlla alia eiusmodi ratione, hocne, an illud credere, hoc, an illud cultus, ac religionis genus adhibere, ad maiorem Dei gloriam faciat. At nos notam quærimus, qua diiudicare possimus, vtrum hæc, an illa doctrina, hæc, an illa religio faciat ad gloriam Dei. Alterum huius rationis vitium est, quod antecedenti illi consequens non suum subnectitur: antecedens illud fuit: opificium ad opificis sui laudem referri oportet: conclusio ea fuit, ergo, qui aliquem verè Devm esse agnoscit, idem, hæc reliqua, quæ sunt opificium illius fateatur necesse est. Hæc ad verbum ex Danæo descripsi, ne cui calumniari velle videar. At profectò, licet quæcumque sunt, Dei opificium esse necesse sit, qua tamen ratione id ex eo Danæus colligat, quòd opificium ad laudem opificis referri necesse est, vt non sum Melanchthoniana Dialectica ita instructus, non video; Aristotelica quidem ratiocinandi ratio hoc argumentationis genus non admittit. Tertia ratio ea est. Omnis, quæ de Deo, eoque colendo vera loquitur, & docet, doctrina est Diuina, quæ in eodem colendo falsa docet, illa falsa est; non est enim Devs falsitatis auctor, sed veritatis, ergo quæ doctrina veritatem de Deo, Deiuè cultu docet, à Deo proculdubio est, ac proinde diuina est, illa verò doctrina verum de Deo Deique cultu tradit, quæ omnia ad ipsius gloriam, velut opificis laudem reuocat, & referenda iubet: ergo diuina illa est. Hæc Danæus. At præter vitium illud, quo superiores quoque rationes laborarunt, quod nimirum docere, ad Dei gloriam referenda esse omnia, duobus modis euenire potest, vno quidem in vniuersali, vt si quis conceptis verbis doceat, in rebus omnibus quæri Dei gloriam oportere; sed hoc non sufficit ad commendationem reliquæ doctrinæ; nam si quis dicat verbi gratia, ad Dei gloriam omnia referri oportere, ideoque Deum non Trinũ credendũ esse, non arbitrandũ Deum incarnatum, passum, ac mortuũ, quia hæc ad Dei gloriam non faciũt, hæc inquam, si quis, aut scriberet, aut diceret, licet speciosum illud præscripsisset, ad Dei gloriã omnia referenda, non ideo reliqua eius doctrina, vel à Danæo commendaretur. Altero modo potest doctrina aliqua Dei gloriã in particulari stabilire ac quærere,

quia nimirum ea, quæ docet, ad gloriam Dei reuera faciunt, quo modo cùm liber aliquis docet, omnia ad gloriam Dei referre, doctrinam continet ille quidem veram, ac salutarem, sed vtrum hoc, aut illud ita credi ad Dei gloriam faciat, adhuc latet, nisi aliquid aliud adhibeatur, cuius præsidio id, quod ad Dei gloriã re verâ facit, nos quoquè ad eam facere cognoscamus. Quarè hac Danæi nota, non prius diiudicari doctrina potest, quam, vel scitum fuerit, veram eam doctrinam esse, ac proinde ad Dei gloriam facere, vel ex aliis capitibus intellectum eam doctrinam ad Dei gloriam facere, ac proinde veram esse; ea autem, per quæ cognoscitur ea doctrina ad Dei gloriam facere, sine dubio notiora sunt: quare nota hæc ignota est, atque alio ipsa indiget charactere, quo dignoscatur. sed præter vitium hoc, alia quoque sunt eius rationis peculiaria vitia: nam prima illa propositio, qua dicitur omnis doctrina, quæ de Deo vera docet esse doctrina Diuina, æquiuoca est, nam ratione rei, de qua disputat est Diuina, cum de Deo disputet, ratione autem principij, à quo manat, non necessariò omnis doctrina Diuina est, quæ de Deo disputat; neque enim, quæcumque vera de Deo cognoscimus, habemus per reuelationem Dei, sed plurima lumine naturali cognoscimus, vt Danæus ipse fatetur, ergò si priore modo propositionem accipiat, vt idem sit, doctrinam esse diuinam, ac de rebus diuinis disputare, nihil concludit; hæc est enim eius argumenti disertis verbis expressa conclusio, ergo quæ doctrina veritatem de Deo, Deique cultu docet, à Deo proculdubio est; antecedens autem, ex quo eam propositionem colligere se credit Danæus, illud est; omnis doctrina, quæ de Deo, Deique cultu vera docet, de obiecto Diuino est, at nulla ratione ea conclusio ex hoc antecedente colligi potest. Sin autem propositionem illam posteriore modo accipiat, vt idem sit, doctrinam esse Diuinam, atque à Deo profectam, petit principium, atque idem per idem probat hac ratione; omnis doctrina, quæ vera de Deo docet, diuina, hoc est à Deo, profecta est: ergo omnis doctrina, quæ vera de Deo, Deique cultu docet, à Deo est, ac proinde diuina: hæc enim ipsa Danæi verba sunt: quo in enthymemate vt cuilibet patet, idem omnino est antecedens, & consequens. Porrò quod ad rem ipsam spectat, doctrinam à Deo esse, duobus modis potest intelligi, vno modo immediatè, & per reuelationem, altero modo mediatè, & per causas naturales. Priore modo, dicimus Prophetias, & ea, quæ in

quæ in Scripturis ſacris habemus, eſſe doctrinam à Deo traditam; poſteriore modo dicitur, 1. Rom. Deus manifeſtaſſe Philoſophis, quod notum eſt Dei; quia nimirum DEVS ita mundum, reſque creatas conſtituit, vt inuiſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicerentur; vt ibidem docet Apoſtolus. Et quia eis lumen rationis indidit, quod eſt participatio quædam lucis Diuinæ; cuius ope naturaliter ad DEI cognitionem deuenire potuerunt: ſi priore modo loquamur; non omnis, quæ de Deo eſt veritas, à Deo eſt, neque poteſt ſine hæreſi oppoſitum affirmari, cùm Paulus 1. Roman. expreſsè doceat, modum, quo Deus Philoſophis ſe ipſum, ac ſempiternam ſuam gloriam manifeſtauit; fuiſſe per cognitionem creaturæ mundi, in qua inuiſibilia Dei, intellecta conſpiciuntur. Deinde Danæus ipſe docet, nos per naturale lumen hæc aſſequi poſſe. Sin autem poſteriore modo, accipiatur, vt doctrinam eſſe à Deo, ſit, ab eo, per naturales cauſas, ac mediatè in mentes hominum deriuari; verum eſt, omnem veritatem, non ſolùm de Deo, ſed etiam de quacunque demum re ea ſit, à Deo proficiſci; ſed ad conſtituendam fidei regulam, eiuſmodi veritas ſatis non eſt. Neque verò Danæum ipſum, tam futurum, aut amentem, aut impium crediderim; vt parem huius generis veritati, auctoritatem tribuat, cum ea, quam Deo ipſo magiſtro, atque auctore, didicimus. Quare in hoc toto negotio, æquiuocatione nominis. Danæus aut fallere nititur, aut ipſe fallitur, qui ſcientiam atque cognitionem Dei, eam, quam humano ingenio atque ſolertia conſequimur, & eam, quam à Deo accepimus, quæ tantò certior eſt qualibet humana etiam euidentiſſima demonſtratione, quantò veritas Dei, humana veritate præſtantior eſt, confundit & miſcet. Quarta Danæi ratio ea eſt, Chriſtus confirmat doctrinæ ſuæ veritatem, ex eo quòd quærit, gloriam Dei, non ſuam, Ioan. 5. v. 43. 7. v. 18. 8. v. 50. contrà verò Ioan. 12. v. 43. oſtendit alios veraces non eſſe, quia quærunt gloriam ſuam, hoc idem Paulus Galat. 1. v. 10. Philip. 3. v. 9. ergo & veræ, ac Diuinæ doctrinæ ſatis firmum indicium eſt, quærere gloriam DEI, & malæ ac falſæ doctrinæ quærere gloriam hominum. Reſpondeo primò, hoc argumentum eodem vitio laborare, quo cætera, oſtendit enim eam eſſe veram doctrinam, quæ gloriam Dei quærit, ſed æquè difficile eſt, atque erroribus obnoxium iudicare, vtrum hæc doctrina, an illa, gloriam Dei quærat, & iudi-

care, vtrum hæc, an illa, vera de Deo doceat. Deinde falsum esse Dominum hoc argumento vti ad ostendendam veritatem doctrinæ suæ, nam capite 5. eam probat, primò à testimonio Ioannis, v.33. deinde à testimonio Patris, & miraculis, v.36.37. deinde à testimonio Scripturarum, v.39. hoc autem argumentum, quòd non quærat gloriam suam nullo modò adducit ibi, quanquam negat v. 41. se claritatem ab hominibus accipere, hoc est laborare, de gloria humana. Cap. verò 7. vers. 18. aliud quippiam dicit, qui à semetipso loquitur, inquit, gloriam propriam quærit, quorsum enim sibi sua somnia fingeret, nisi vel vt gloriam hominum, vel aliquid simile aucuparetur? pergit Dominus, Qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est; non dixit, qui quærit gloriam Dei, sed eius, qui misit eum, quando enim vera missio est à Deo, qui quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, quia qui à Deo missus est, pro Deo legatione fungitur; atque vt Dei legatus, ea docens populos, quæ à Deo audita, iussus est Ecclesiæ nunciare, mentiri non potest; non sufficit ergo, si quis eo animo loquatur, vt DEVS glorificetur, vt certi simus eum vera dicere: potest enim euenire, vt quod de quibusdam dicit Apostolus Rom. 10. æmulationem ac zelum DEI habeant, qui ita loquuntur, sed non secundùm scientiam, sed necesse est, vt & missus à DEO sit, & gloriam DEI quærat, nam quia à DEO mittitur, verbum ab eo per reuelationem accepit, quia gloriam eius quærit, fideliter ea renunciat, quæ accepit. Porrò cap. 8. vers. 50. planè alia omnia dicit Dominus; honorifico, inquit, Patrem meum, & vos inhonorastis me, ego autem non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet. Quo loco tantùm negat, laborare se, quòd inhonestè à Iudæis acceptus fuerit, quia non laborat de gloria sua, quam tamen scit curæ esse Patri; quid autem hoc ad veritatem doctrinæ? Denique æquiuocatione insigni vtitur in hoc argumento Danæus: nam nota, quam attulit, est, eam esse veram doctrinam, quæ docet quærere gloriam Dei; hîc autem transit à doctrina ad Doctorem, atque eam esse veram doctrinam, cuius Doctor quærit gloriam Dei, eam falsam, cuius Doctor quærit gloriam suam; quasi verò qui annunciabant Christum, vt pressuram præberent vinculis Pauli, quia non quærebant gloriam Dei, cùm ex inuidia prædicarent, ideò falsam doctrinam attulerint, de qua tamen Paulus gaudere se dicit; aut cùm Caiphas qui erat Pontifex

tifex prophetauit, expedire vt vnus moreretur homo pro populo, non verissimè dixerit, quia odio CHRISTVM insequebatur; eaque illi fuit causa loquendi, quanquam Spiritus sanctus eius linguam alio flexit. Aut Pharisæi, quos Dominus testatur gloriam hominum, & primas in Synagogis cathedras quærere solitos, & salutari ab hominibus Rabbi, non vera docuerint, tum, cùm omnia, quæ docerent ex cathedra Moysi, seruare populos Dominus præcepit.

4. Tertium Danæi dictum illud est, eam doctrinam, quæ nos, nostram, aut creaturarum cœlestium, vel terrenarum gloriam quærit, stabilit, aut præfert gloriæ DEI; neque Diuinam, neque cœlestem censeri oportere. Dictum hoc distinctione indiget; si enim neget Danæus, eam doctrinam à DEO proficisci posse, quæ inordinatè nos, nostra, aut aliarum creaturarum bona & commoda quærere doceat, verè dicit. DEVS enim, mali & peccati auctor esse non potest: quis autem non videt, peccatum ac malum esse, cùm nos, nostraque inordinatè diligimus? Sin autem velit, quæ doctrina vlla ratione gloriam creaturarum creatori subordinatam ac subditam confirmet, & asserat, eam à DEO esse non posse, hæretica omninò doctrina est, atque à Scripturis aliena. Pollicetur enim Dominus ipse 1. Regum 2. versiculo 30. fore vt glorificet eos, à quibus ipse glorificatus fuerit; pollicetur passim gloriam sempiternam legem suam seruantibus: in memoriam mulieris, quæ effudit vnguentum super caput CHRISTI recumbentis, voluit Dominus vbicumque prædicatur Euangelium CHRISTI, hoc quoque eius in se officium prædicari, Matth. 26. quod sine dubio gloriosum ei est, eritque ad mundi vsque consummationem. Gloriosum est matri Domini Saluatoris, quòd virgo concepit & peperit, quòd DEI mater verè ac propriè dicitur, quòd benedicta dicitur in mulieribus, & benedictus fructus ventris eius, quòd beatus venter, qui Dominum portauit, & vbera, quæ paruulus suxit, quòd fecit in ea magna, qui potens est, propter quæ beatam eam dicent omnes generationes. Gloriosum est Ioanni, quòd Angelo nuntiante conceptus, quòd Spiritu sancto repletus in vtero, quòd magnus fuit coram Domino, atque eius ore magnificè collaudatus, quòd præcessit ante faciem eius in Spiritu, & virtute Eliæ. Gloriosum est Apostolo Petro, quòd Domini Diuinitatem reuelan-

reuelante Patre cognitam confessus, à Christo Domino Beatus meruit appellari, claues regni cœlorum accipere, & primum post CHRISTVM constitui Ecclesiæ fundamentum; Gloriosum est Apostolis, & Prophetis, quòd DEI ad homines internuncij, ac legati, quòd fundamentum fuerunt, super quos ædificaretur reliqua fidelium multitudo, quamobrem in cœlestis etiam, ac nouæ Hierusalem, duodecim fundamentis, nomina duodecim Apostolorum Agni, scripta legimus in Apocalypsi cap. 21. v. 14. quæ omnia, aut è scripturis delenda sunt, aut manifestæ hæreseos conuincunt eos, qui negant doctrinam Diuinam censeri oportere, eam, quæ vllius creaturæ gloriam, quacumquè ratione confirmat, & stabilit; nequè enim inuidus est Deus, vt eam gloriam deneget, quæ creaturis propter dona diuinæ misericordiæ debetur. Gloriosum enim est Deo, tales eos fecisse donis suis, vt eos meritò suspiciāt ac venerentur, qui iis naturæ conditione sunt pares, impares Diuinis beneficiis, & primus fons ipse bonorum laudatur, cum bona eius, in consorte sibi natura creatura glorificat. Hęc ideo dixi, quod Sanctorum inuocationem, ac bonorum operum merita spuria hac sua atque ignota nota conuellere nititur Danæus, quasi verò gloriosum Deo non sit, aut tales seruos suos efficere potuisse, vt ad eos conserui, auxilij opisque causa confugiant, aut misericordiæ suæ donis efficere, vt creatura per se abiecta, & humilis, vi diuinæ gratiæ operibus suis præstantissimum, atque vnum omnium maximum bonum mereatur.

5. Ad quartum dictum tandem aliquando ventum est, cuius ni fallor, ipsos etiam Caluinianos, & Lutheranos pudebit; quanquam nullius rei pudere eos solet, quæ aduersus fidem, atque Ecclesiam excogitetur. Vult Danæus, eam doctrinam, quæ ad Dei gloriam faciat, à Deo profectam censeri oportere, quæ creaturarum gloriam confirmet, à Deo non esse; vtrum autem id, quod dicitur, re vera ad Dei gloriam faciat, an verò à Dei gloria, ad gloriam creaturarum abducat, naturali vnumquemque per se lumine iudicare debere: atque hanc ait esse rationem explorandæ veræ Scripturæ, eiusque genuinæ interpretationis: quare naturali lumine iudicandum relinquit, sitne hæc vera, ac verè à Deo reuelata Scriptura, sitne hic verus ac germanus huius Scripturæ intellectus. Quid autem est hoc, nisi vt lumen naturale constituatur supremus controuersiarum fidei iudex? Cùm enim ex Aduersariorum ac Danæi senten-

ſententia, nihil aliud credendum ſit, niſi quod eſt traditum in Scriptura, & conſequenter de fidei articulis duo tantùm oriri poſſint controuerſiarum genera; alterum, vtrum hæc vera, an ſuppoſititia Scriptura ſit; alterum, hic Scripturæ locus, qua ratione ad Spiritus ſancti mentem potiſſimum intelligendus ſit; is profectò ſupremus erit controuerſiarum fidei Iudex, cuius iudicio ſunt hæ controuerſiæ finiendæ: id quod Danæus naturali lumini tribuit, hoc eſt fidem omnem, omnes Scripturas, omnes planè diuinas reuelationes euertit funditus, ac viam ad Ethnicorum Philoſophorum, inſipientem ſapientiam ſternit: quarum illud fuit commune placitum; nihil, credendum eſſe, niſi quod naturali cognitione aſſequi poſſis. Nam fides hæc in primis habet; primò aſſenſum propter auctoritatem dicentis DEI, ita vt ea ſit credendi atquè aſſentiendi ratio, quia Deus dicit rem ita eſſe. Secundò ſummam certitudinem, qua ea, quæ Deo reuelante didicimus, certius credimus; quam ea, quæ videmus oculis, tenemus manibus, demonſtratione ſcimus; quia maior eſt DEI dicentis, cui credimus, auctoritas, ſenſus, aut intelligentiæ cuiuſuis, etiam euidentiſſima cognitione: quamobrem Petrus Apoſtolus ſecundæ ſuæ epiſtolæ capite 1. cùm CHRISTI Diuinitatem probaſſet, ex voce Patris delapſa de nube lucida, quam ipſe, cum condiſcipulis, ſuis auribus audiuerat. Et habemus, inquit, firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes. Ita firmius ait eſſe Scripturarum, quàm aurium ſuarum teſtimonium, quibus Patris de Filio ſuo teſtificationem audierat. Tertiò habet fides obſcuritatem, ſi enim rerum, quæ nobis reuelantur, euidentiam haberemus, iam non eſſet fides, ſed ſcientia: neque tam propter Dei dicentis auctoritatem, quam propter rem ipſam nobis cognitam aſſentiremur: at fides in eo poſita eſt, quòd rem ita eſſe credimus propter auctoritatem eius, qui ita ſe habere confirmat. Eam ob rem vocatur ab Apoſtolo, fides argumentum non apparentium, ad Hebr. 11. & Dominus Ioan. 20. reprehendit Thomam, quòd reſurrectionem ſuam credere noluit, antequam rediuiuum videret: Quia vidiſti me, inquit, Thoma credidiſti, beati qui non viderunt, & crediderunt. Quartò habet multa intellectu difficilia, quæ neque per nos ipſi aſſequi, neque reuelata capere poſſumus. quare vis aliqua humano ingenio eſt inferenda, vt ea credamus, quæ reuelata ſunt. Ita videmus Mat-

thæi 16. cùm Petrus esset Christi Diuinitatem confessus, Dominum subiecisse, id Petro non à carne & sanguine, sed à Patre reuelatum fuisse; nimirum quia humanis rationibus, res tanta sciri non potuit: & cap. 10. Dominus gratias agit Patri, quia mysteria regni DEI, & cognitionem Diuinitatis suæ abscondit à sapientibus & prudentibus, & reuelauit ea paruulis: quare etiam subdit, nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Nam quanquam Deum esse sapientes etiam nossent: esse tamen in DEO Patrem, & Filium nosse non poterant, nisi Domino reuelante. Neque verò eiusmodi sunt mysteria fidei, vt quamuis per nos ipsi ea inuestigare non possimus: tamen obiecta iam & explicata, quasi prona ad assentiendum mente, sine difficultate credamus. Nam mysterium Crucis CHRISTI, etiam tum, cùm ab Apostolis, annunciaretur, sapientibus Ethnicis stultitiam visum esse testatur Paulus 1. Corinth. 1. & 1. Corinth. 2. ait nos accepisse, non Spiritum huius mundi, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Et ipsemet Paulus, cùm Athenis in Areopago resurrectionem annunciaret, risu exceptus est. Actor. 17. Et 26. eandem ob causam insanire Festo visus est. Denique ipsemet Paulus 2. Corinth. 10. de vi prædicationis fidei loquens, in captiuitatem, inquit, redigentes omnem intellectum in obsequium CHRISTI: qua metaphora captiuitatis satis ostendit, non sine difficultate, peruincente Spiritu DEI humani ingenij peruicaciam, ea credi, quæ prædicantur. Quare Danæus ipse libro 4. 1. controuersiæ, ad caput 8. ad quartum Bellarmini argumentum ait, doctrinam Christianam dici mysterium, 1. Timoth. 3. vers. 16. quòd sensum, & captum naturalem & humanum planè superet, 1. Corinth. 2. v. 7. Hæc autem omnia penitus tollit hoc nouum Danæi commentum.

Atque vt incipiamus à primo, quod inesse fidei diximus, manifestè illud euertit, hæc Danæi hæresis. Quia, cùm assentimur rei per fidem propositæ, si vera Danæus docet, hac ratione ratiocinari deberemus. Quicquid facit ad DEI cultum & gloriam, verum est, hoc facit ad DEI cultum & gloriam; hoc igitur verum est. In quo Syllogismo propositio ex secundo Danæi dicto, est naturali lumine cognita; assumptio ex hoc quarto Danæi dicto est naturali item lumine cognita: at ex propositionibus naturali

turali

turali lumine notis, assensus ipse conclusionis, naturali lumine sequitur: ergo in ea ratiocinatione, assensus conclusionis, vi naturalis luminis sequitur, neque vllum habet hîc locum auctoritas Diuina, tanquam ratio assentiendi. Immò verò ex tertia Danæi ratione, ideò scimus doctrinam aliquam à Deo reuelatam esse, quia scimus esse veram: ergo non ideò credimus esse verum quod dicitur, quia Deus dicit, sed ideò assentimur Deum dicere, quia verum est, quia, videlicet, omnis doctrina, quæ vera de Deo docet, à Deo est, vt Danæus docuit in tertia sua ratione. Secundum item illud, quod fidei proprium esse demonstrauimus, ab ea tollitur hoc dicto Danæi, primò, quia fieri non potest, vt conclusio certiùs cognoscatur, quàm propositiones, ex quibus ea colligitur, vt per se notum est, & docet *Aristot.* 1. poster. cap. 2. At propositiones, ex quibus deducitur cognitio fidei, cognoscuntur solo naturali lumine ex Danæo, vt paulò antè probauimus, ergo non possumus assentiri conclusioni fidei, nisi tanta certitudine, quantam præbere potest lumen naturale. Secundò in iis propositionibus, ex quibus fidei conclusio deducitur, potest lumen naturale hallucinari, vt, vel veras eas esse iudicet, quæ falsæ sunt, vel, eas, quæ veræ sunt, falsas esse arbitretur; ergo potest assensus fidei esse falsus: ergo non habemus infallibilem certitudinem per fidem. Antecedens probo primo, quia nullæ vnquam alioqui essent controuersiæ fidei, neque quisquam esset verè Hæreticus: nam, si neque, vtrum, quod ad maiorem Dei gloriam facit id verum sit, neque vtrum hoc, aut illud ad maiorem DEI gloriam faciat, dubitare quis potest, profectò, nisi insaniat, dubitare non potest, vtrum hoc, aut illud verum sit. Quare negare quidem ore, ex animi peruersitate, aliquid poterit: dubitare tamen animo vtrum verum sit, non poterit. At videmus, & multas esse fidei controuersias, & existere quotidiè nouas, & ita vtrinque certari, vt vtraque pars sibi persuadeat, verum se credere. Et Danæus ipse contendit, errasse aliquando integra Concilia in Scripturis canonicis probandis, aut improbandis, vt sine insigni impudentia negare non possit, fieri posse, vt de rebus ad fidem pertinentibus, errores, ac dubitationes existant aliquando. Quo fit, vt ne illud quidem negare possit, posse aliquando lumen naturale in rebus ad fidem spectantibus hallucinari. Secundò quia non habet lumen naturale, vnde colligat clarè atq; euidenter hoc aut illud

ad gloriam Dei facere: neque porrò ex ipsa natura rerum, id vsque adeò clarum est: fieri igitur potest, vt decipiatur nonnunquam. Tertiò, quia videmus in rebus etiam ipsis naturalibus diiudicandis, lumen naturale plerumque falli, adeò vt maximi Philosophi, inter se plerumque diffideant; neque, aut cum Platone Doctore suo Aristoteles, aut ipsi inter se Peripatetici consentiant: potest ergo lumen naturale falli, ac de re aliter iudicare, quam ipsa se habeat. Quod si, cùm de rebus sibi affinibus iudicat, hallucinari potest; quid tandem facturum dicemus, cùm de rebus iis sententiam feret, à quibus longius abest? Aut quis erit tam arrogans, qui cœcutire interdum ingenium suum posse neget, cùm viderit eos homines, qui ideò nati videntur, vt facem aliis ad scientiam præferrent, interdum etiam labi? An verò Plato, & Aristoteles, & tam multi alij, tanto ingenio viri errare potuerunt: nescio quis Caluiniani Euangelij ministellus, aut triobolaris Grammaticus, aut alius aliquis de populo falli non poterit? Videmus imperitos, atque idiotas homines, vbi de cœli stellarumque magnitudine, interuallis, motibus, aut aliquid aliud ex reconditiore Philosophia audierint, non modò mirari, sed ne doctioribus quidem affirmantibus velle credere, & lumen naturale, in rebus præsertim, quæ captum omnem creatæ intelligentiæ superant, falli nunquam posse dicemus? quod si fieri potest, vt Dux hic, quem sequendum proponit Danæus, fallat, profectò infallibilis certitudinis fides esse non poterit. Quartò, non solùm ea credenda nobis esse, quæ expresse sacræ literæ continent, sed ea etiam, quæ ex iis necessaria consequutione colliguntur, Danæus decernit. [Nos, inquit, libro 4. ad caput 8. 1. controuersiæ, contenti sumus, siue id, quod proponitur, expressis & præscriptis verbis extet in sacra Scriptura, siue per Analogiam fidei, ex regulis bonæ consequentiæ, ex sacra Scriptura colligatur: hoc enim totum pro verbo DEI agnoscimus.] At profectò in ratiocinando tam multi latent errores, tam sæpè viri etiam acutissimi, atque ingeniosissimi decipiuntur, vt vix vitari posse paralogismi, summis etiam ingeniis videantur; neque rarò in ipsis etiam Geometrarum scriptis, qui eam sibi gloriam, præ cæteris vendicant, quod nihil sine demonstratione vnquam affirmant, paralogismos deprehenderimus. Potest ergo lumen naturale falli, in rebus fidei proponendis, iis minimum, quæ per analogiam fidei colliguntur, ergo

fidei

fidei certitudo à Danæo, aut penitus tollitur, aut magna ex parte labefactatur. Denique si lumen naturale potest de controuersiis fidei iudicare, quare Conciliorum generalium auctoritatem cum cæteris Hæreticis conuellit Danæus ad caput 8. libri 3. cùm dicat, non posse Episcopis, aut Pontifici Romano potestatem iudicandi ac definiendi, quæ sit sacra Scriptura, concedi. Nam si fieri non potest, vt vnus aliquis in rebus fidei iudicandis fallatur, multò minus tam multi non plebeij, non ineruditi pædotribæ, sed viri graues, ac literati, sed pastores Ecclesiæ falli poterunt. Sin autem ideò à Conciliis ad Verbum Dei prouocant, quia, vt ait Danæus eo loco, esset, & temerarium & superbum, velle Dei verbum ex hominum arbitratu pendere, qua ratione rustico cuiuis & idiotæ, aut vix Erasmianis adagiolis, erudito ludimagistro, sacrarum maiestatem subiicit Scripturarum? Quantò verò nobiscum agit iniquius? nos enim generale Concilium, non humana prudentia, aut ingenio, iudicare posse contendimus; sed quia, cùm Ecclesiæ vniuersæ personam gerat, non potest à Spiritu sancto destitui. Quare ius illud, certò atque infallibiliter iudicandi de Scripturis, earumque interpretatione, non hominibus illis, sed Spiritui sancto, qui eorum mentes eo tempore regit, tribuimus. At Danæus, cui videlicet religioni erat, iudicium de Scripturis, hominibus etiam diuino afflatis Spiritu, permittere, ne verbum DEI pendere videretur ab hominum arbitratu, ad cerdones etiam, & cœmentarios vltrò defert, & cuilibet, quamuis tardo, atque hebeti, quamuis illiterato, & rudi, dummodo non insaniat, facit de Scripturis, earumque germano sensu, iudicandi, ope sui ingenij potestatem. At profectò, nemo est tam vecors, qui si de agri finibus, aut stillicidiis controuersia sit, naturali cuiusuis non insani iudicio causam permittat, quòd homines idiotæ, ac rudes, non ita accuratè rationum momenta, plerumque perpendant, immeritò id quidem, si naturale lumen falli non potest, sin autem falli potest, qua ratione res tantas, tam remotas à sensibus, tam à quotidiana cæterarum rerum consuetudine abhorrentes, possumus ei permittere iudicandas, cui ne stillicidia quidem tutò permitti posse existimamus? Tertium item illud, quod in esse fidei diximus, vt cum obscuritate coniuncta sit, euertit hæc Danæi hæresis. Nam si exploratum intelligentiæ non est id, de quo controuersia est ad gloriam DEI facere, mens aut pro-

babili tantùm ratione nitetur, aut incerta atque anceps erit, vtram in partem inclinet; quare, aut non assentietur, aut certè non ita assentietur, vt rem aliter se habere non posse certò existimet. Certitudo igitur fidei nulla erit: sin autem compertum iam habet animus, id, de quo controuersia est, ad maiorem pertinere gloriam Dei: compertum item quicquid ad maiorem spectat DEI gloriam, id necessariò verum esse, sine vlla planè obscuritate cognoscet, verum id esse, quod credendum proponitur: nam ex euidentibus propositionibus, euidentem sequi conclusionem necesse est. Aut igitur incerta erit, aut obscura non erit fides nostra, si vera ea sunt, quæ Danæus docet. Quartum denique id, quod fidei proprium numerauimus, vt difficilia creditu doceat, quæ neque per nos ipsi assequi, neque tradita, si ad naturalis luminis normam exigere, ea velimus, sine difficultate credamus, funditus euertit Danæus. Nam quicquid verum aut falsum esse mens enunciat, necesse est, id, aut per se, atque ex terminis notum esse, vt cùm intellectum fuerit, quid, de quo enuncietur, ipsa rerum natura doceat, rem aliter se habere non posse: aut experimento, & sensibus compertum, atque exploratum haberi, aut certa ratiocinatione concludi; quare, quæ fide credenda sunt, si ea vis naturalis luminis ad DEI gloriam pertinere, certò atque euidenter cognoscit, id vno ex his tribus modis assequi debet: at si, vel sensu id, & experientia comperit, vel ex terminorum necessario nexu, ac necessitudine, vel naturali ratiocinatione, concludit: profectò rerum reuelatarum veritatem, ipsa per se potest assequi, neque indiget reuelante, aut si res, de quibus agitur, quia rerum naturalium conditione longè superiores sunt, neque ex terminis intelligi, quòd earum non, nisi obscurissimam, ac valde rudem notionem habeamus, neque experimento sciri, quod longo à nobis, rebusque nostris interuallo distent, neque naturali ratiocinatione comprehendi possunt, quòd nullas habeamus ex natura ductas earum prænotiones, ex quibus, quæ consequentia sunt, colligere possimus: profectò hærere necesse est quoduis, etiam magnum ingenium, cùm quæsitum ab eo fuerit, veranè ea esse putet, quæ credenda proponuntur. Alterum ergo necessariò dicendum est, aut posse nos naturali industria, earum rerum veritatem cognoscere, quas fides docet; aut certè non posse naturale lumen de

rebus

rebus fidei certò pronunciare. Si prius Danæus maluerit, fides tollitur, atque inutilis est reuelatio; quod enim omnes homines per se ipsi nosse possunt, quorsum reuelatur? imò verò, si aliter assentiri rebus reuelatis non possumus, nisi quia naturali lumine veras esse cognoscimus, quæ tandem ista fides est? aut quæ vtilitas fidei? Sin autem posterius asseruerit, qua ratione naturalis luminis iudicio standum erit, de ignotis sibi rebus, quasi cœci de coloribus iudicantis? Iam verò si res fidei non modò ignotæ nobis sunt, sed etiam difficiles creditu, vt vim inferri intelligentiæ opus sit, & quodammodò captiuam eam teneri, ne reclamet; quam æquam tandem sententiam dictura est, cum eius arbitrio permissæ fuerint, & potestas ei facta, liberè iudicandi? aut ergo confiteatur Danæus, fore, vt quæ non capit, ea mens humana reiiciat; ac perneget ad DEI gloriam pertinere, ea, quæ falsa sibi videntur; aut certè perneget ipse, quicquam in rebus reuelatis esse, ad quod non procliue sit luminis naturalis iudicium. Et fortasse quidem hoc posterius, homo doctus seruire tempori, in præsentia maluerit; non difficile concessurus, nihil esse, cuius credendi causa magnopere opus sit, in captiuitatem intellectum redigi in obsequium CHRISTI; neque eum quicquam commouerit Apostoli reclamantis auctoritas. Sed quæro, qua ratione responsurus sit, quamuis ingeniosus sibi ad fallendum esse videatur, si quis obiiciat id, quod ad caput vigesimum sextum controuersiæ secundæ scripsit ipse de mysterio Trinitatis, cùm Bellarminum reprehenderet, quòd mysterium illud enucleatius traderet, quàm vt capi à Grammatico, eoque non eruditissimo posset. *Miserum est*, inquit, *ne dicam impium, in re tam difficili, qualis est Spiritus sancti ex Patre, Filioque processio, & Diuinarum personarum inter se distinctio, & tam obscura: maiores etiam tenebras animis hominum obiicere; miserum in tam augusto argumento ludere, & ingenij sui vanitatem, in ipsius Deitatis dispendium ostentare. Longè tutius illud, & Bellarmino attendendum, quod est Prouerbiorum 25. versic. 27. Scrutator Maiestatis Dei, ab eo opprimetur. Itaque in tantis arcanis, nobis, quemadmodum iubet Paulus, sapiendum est ad sobrietatem. Roman. 12. versic. 3. Habitat enim Deus lucem inaccessam, 1. Timoth. 6. versic. 16. In summa moneo Bellarmine, ne fortiora te, vt est Ecclesiast. 3. versic. 22. quæsieris: est enim istud emanationis personarum*

Diui-

diuinarum arcanum ἄῤῥητον, & prorsus humanæ menti incomprehensibile, ne se quisquam in eo comprehendendo, frustra fatiget, nemo enim id potest. Hæc, inquam, si quis obiecerit Danæo, quæsieritque ab illo arcanum hoc mysterium, humano ingenio penitus inaccessum, lucem illam, quæ aciem mentis nostræ perstringit, ἄῤῥητον illud, in quo comprehendendo, frustra se fatiget humana industria, maiestatem illam, cuius scrutator opprimatur à gloria; qua ratione humano, etiam cerdonum, & fossorum iudicio dispiciendum ac diiudicandum obiiciat: & à quo, viris doctissimis, etiam explicandæ ac defendendæ fidei causa præcipit abstinendum, id tam facile repentè tamque peruium humano ingenio esse velit, vt nescio quis ex Henrici Stephani thesauro sapiens, modò posita scutica magistellus, aut infima et malè feriata plebecula, tutò iudicare de eo possit? Ad hæc atq; his similia, quid tandē responsurus sit Danæus, scire percupio.

6. Ex his autem quintum etiam Danæi dictum refellitur, qui omnia alia, præter Incarnationis mysterium, fidei decreta, docet, posse naturali lumine cognosci, cùm tamen ipsemet fateatur, mysterio Trinitatis, captum humanæ intelligentiæ ita superari, vt credendum sine scrutatione sit, ne scrutator Maiestatis opprimatur à gloria. Porrò mysterium Incarnationis, quam ob causam neget naturali lumine cognosci posse, scire à Danæo peruelim. Si enim ideò negat, quia difficilius est, quàm vt eo mens humana possit attingere, primò, qua ratione scire poterimus, ex hac Danaicæ fidei regula, diuina ne ea doctrina sit, quā de incarnatione nos Apostoli docuerūt? nam quia tantū arcanū capere mens nostra nō poterit, facilè enunciabit, non pertinere id ad Dei gloriam, quod fieri potuisse non capit: quare aut erit ab hac fidei regula recedendum, aut lumen naturale, ad hoc quoque mysterium pertingere dicendum est. Deinde explicet ipse nobis, quam tandem difficultatem habet Incarnationis arcanum maiorem, quàm mysterium Trinitatis: certè illa personarum realis Trinitas, cùm perfecta & vera essentiæ vnitate, tam est perceptu difficilis, vt Angelorum etiam mentes hebetare possit, nisi, aut adminiculo fidei fulciantur, aut eius reuelata facie contēplandæ potestas fiat. Quod si ideò mysteriū nobis hoc esse ait, quia quamuis vires mentis nostræ non superet, tamen, quia nulla certa potest esse ratio, qua id factum, infectumvè fuisse concludas, quod euenire aliter potest, nonnisi reuelatione sciri potuit, Verbum carnem factum fuisse, cùm id nulla necessitate, sed libera Dei voluntate factum sit.

Primò,

Primo, ea omnia, quæ Deus præcepit, ac seruari voluit, eiusmodi sunt, vt non aliter sciri potuerit seruari ea oportere, nisi Deus id reuelaret; quare ea omnia ad fidei mysteria pertinebũt: mysteriũ enim, ex hac doctrina, non in eo positum est, quod Dei verbum hominẽ fieri potuisse, arcanum, & inaccessum menti hominum sit; sed in eo, quod Deus verbum suum hominem voluerit fieri: quare illa diuini consilij reuelatio mysterium est; vbicumque igitur Diuinæ voluntatis erit reuelatio mysterium erit. At ea omnia, quæ Deus, tum Hebræis olim, tum nobis præcepit in nouo testamento, reuelationem continent voluntatis Diuinæ, ergò in mysterijs erunt numeranda: non ergo solum Incarnationis mysterium nobis arcanũ est. Deinde cum hæc omnia, quia libere ea Deus, aut facit, aut præcipit, fieri potuerit, vt nunquã existerent, aut præciperentur; quæro qua ratione dignoscere possimus, vera ne reuelatio ea sit, qua hæc facta, aut præcepta declarantur? Nam si necessariò sunt cum Dei gloria coniuncta, aut Deus ea præcipere, aut facere necessariò debuisse dicetur; atque ita non libere præcepit, vel fecit. aut si, cum sine gloriæ suæ dispendio, non posse ea prætermitti animaduerteret, prætermittere tamen ea libere potuit: non necesse quicquid ad gloriam Dei spectat, id verum esse. Nam si mysterium Incarnationis verbi gratia, necessarium illud quidem habet cum gloria Dei nexum, neque tamen ex eo nexu vlla eius mysterij exequendi necessitas imponitur Deo; fieri potuit, vt quamuis verbum incarnari spectaret ad Dei gloriam; Verbum tamen non incarnaretur: qua ergò ratione, si res ita se habere dicantur, incarnatum re vera Dei Verbum ex eo colligi poterit, quod id ita fieri spectabat ad gloriam Dei? sin autem, ideo spectant ad gloriam Dei, quia ipse ea, cum gloria sua coniungi voluit, nihil profecto est, ex quo lumen naturale coniicere, ne dum necessariò colligere possit id Deum facere, vel præcipere maluisse; quare aut harum rerum nihil omnino sciri fide poterit, aut hæc Danæi regula, & nota, ad ea exploranda, quæ fides docet non facit.

7 Denique, quod Coronidis loco addit, id manifeste prodit, quam nihili, atque extra rem sint ea omnia, quæ hac bene longa digressione docuit. Nam, cum Prophetica, & Apostolica scripta sacra esse, iisque verbũ Dei contineri, cõcesserit 1. cõtrou. libro. 1. ad caput 1. idemque libro. 4. eiusdem controuersiæ, cum cæteris Hæreticis obstinatè præfracteque tueatur, nullum esse in Ecclesia

verbum Dei aliud,nisi, quod sacris literis, ab Apostolis,ac Prophetis mandatum est; rationem aliquam assignare debuit, qua dignoscere possemus, quæ sint re vera apostolicæ, aut propheticæ, literæ, quæ supposititiæ, ac nothæ. Nam si ex nullis aliis,nisi apostolicis,ac propheticis scriptis haurire fidei articulos debemus; neq; verò vllus est vere propheticus, aut apostolicus liber, qui non idem Diuinus sit, & canonicus: quicquid attuleris ad libros canonicos dignoscendos, qnod nō idem doceat, apostolici, ne ii, ac prophetici sint, nihil omnino effecisti: At hæc tam multis verbis explicata, tā multis scatens erroribus Danæi nota, vel ipso teste, nō eiusmodi est vt eius præsidio,tuto scire possimus, vtrum apostolicus, ac propheticus liber aliquis sit,an supposititius, &adulterinus. Quæro enim à Danæo suane hæc qualiacumq; in Bellarminū scripta, continere doctrinā putet à Dei gloria alienā,an verò quæ ad Dei gloriā faciat? si facere ad Dei gloriā omnia putat, quæ docuit, scit idē, non omnē librum, qui doctrinā contineat, ad Dei gloriam pertinentē, apostolicum, aut propheticum esse; nisi forte; qnia ex tribu Dan, oriundū se aliquando gloriatur, propheticū sibi Spiritum arroget. sin autē putat aliquid in suis scriptis esse,quod à Dei gloria sit alienū,quæro, sciens ne, ac prudens id scripserit, an errore aliquo humano, irrepsisse sibi existimet nescienti? si volentem scripsisse se dixerit, impiū profecto se esse fatetur,qui de rebus diuinis falsa, idq; dedita opera scripserit; sin autem vereri se dixerit, ne quid forte falsi admiscuerit nesciens, cum vera docere voluerit; fallax ergo est humanum iudicium, neque certò scire possumus, dum ope ingenii nostri, ad rerum diuinarum cognitionem nitimur, nos vere omnia dicere: stulte ergò fidei controuersias, ipsamque sacram scripturam diiudicādam dedit lumini naturali. Vidit hoc ipse Danæus, qui quamquam supra dixit, eandem illam regulam, in scriptis propheticis, & apostolicis diiudicandis locum habere, tamen eam digressionem iis verbis, conclusit, quæ sexto eius dicto retulimus: eam solam dictam fuisse sacram scripturam, & canonicam, quæ immediate Dei iussu scribi præcepta est. Id quod, inquit, non magis Concilia pontificia definierint,quam quiuis pius ex veteri historia. Quare ab illa sua nota, ad veterem historiam prouocat, vt sacram scripturam, & canonicam à reliquis libris diiudicet, ac fatetur ad eam dignoscendam, quæ vere est sacra, & Diuina scriptura, verbum Dei, & fidei nostræ regulam infallibilem continens: suam

ſuam illam, tam glorioſe toties laudatam notam, nulla ratione ſatis eſſe. Ita nihil, tota ea digreſſione attulit, quod ad fidei regulam faciat. Porrò, quod ad veterem hiſtoriam attinet, quæro ab homine, ſatiſne præſidii collocatum in veteri hiſtoria putet ad ſacram ſcripturā, tuto, ac ſine erroris ſuſpicione dignoſcēdam? ſi affirmat. ſatis hoc vnum fuit ad totam ſcripturam inueſtigandam: vt quādo vetus hiſtoria, propheticum, aut apoſtolicum eſſe librum aliquem doceret, is canonicus haberetur. Nam ſi vere docet hiſtoria, eum Apoſtolicum eſſe; profectò reliqua neceſſario conſequuntur. Neque enim dubitare poſſumus, quin Apoſtoli, ac Prophetæ vera docuerint. Neque Apoſtolos, ac Prophetas, eorumquè dicta, in ius vocari à nobis par eſt: ſed etiam ſi, quia rerum ſublimitatem non capimus, minus vera nobis aliquando videantur, quæ ab iis tradita ſunt; captiuandus tamen eſt ſenſus noſter in obſequium Chriſti, eaque credenda, quæ à magiſtris fidei noſtræ, Spiritu ſancto auctore didicimus. ſin autem veteris hiſtoriæ fides tanti non eſt, vt librum aliquem eius teſtimonio pro Apoſtolico habere debeamus, profectò ſua hac tam prolixa digreſſione, nihil efficit Danæus; quia neque nota illa docet, qui ſit vere canonicus liber, neque vetus hiſtoria, hoc ſatis teſtificari poteſt. At præter hæc duo, nihil aliud docet Danæus, quod ad explorandas ſcripturas, ac diiudicandas faciat: quare incerta omnia, ac dubia relinquit, neque quicquam tanto hiatu dignum promiſſor hic attulit.

Danæi Contradictiones.

CAPVT. V.

VT mēdacium natura multiplex eſt, atque infinita propemodū erroris à vero diuortia; ita difficillimū eſt, eum, qui falſitatis patrocinium ſuſceperit ſibi ipſum perpetuo conſtare, vt eam ob rem veteri prouerbio moneamur, mendacem memorem eſſe oportere; ne, ſi pro re nata loqui voluerit, mendacium ſuum antilogia prodat. Id adeo in hoc Danæi aduerſus Bellarminum libro, ſi vnquam alibi, manifeſte tenetur. Qui enim viro grauiſſimo, atque doctiſſimo, antilogiam ſæpiſſime per calumniam obiecit; ipſe ſibi veriſſime, neque raro contradicit. proferā ex plurimis pauca, quibus id probē. Atq; vt ordine, ac ratione rem tranſigā, ea prius

memorabo, quæ modo ait, modo negat; tum verò ea, quæ ipsa se euertunt, ac sibi ipsa aduersantur. cuius generis, quia non pauca obiter iã supra notaui; curabo vt parcius etiã locum hunc exequar.

1. Controuersiæ. 1. Libro 2. ad caput 2. reprehendit Bellarminum, quod velit Hebræos codices, non esse illos quidem plane, aut magna ex parte deprauatos, irrepsisse tamen in eos quoque mendum aliquod, vt eam ob causam, purissimi fontes esse, ac dici non possint. *Paradoxum*, inquit, *& re, & auditu, hebraicum textum non esse purissimum, ex quo sententia veteris testamenti sit haurienda, fontem.* At ipse paulo post causam assignat, quam etiam ipsam à Bellarmino mutuatur, cur factum sit vt nonnullis in locis hebræus codex, quem nunc habemus præ manibus à vetere dissentiat. *Iste*, inquit, *vehementer sudat, & æstuat, vt rimetur causam, cur quædam hodie in Hebræo codice nostro, à veteri immutata appareant. Iste nihil immutatum vult, falsum est: sed causa istius mutationis fuit hæc, quod sub iisdem literis consonantibus, diuersas notiones, seu vocales legerunt illi, nos alias.* Quibus verbis, & mendacium, & duplex contradictio continetur. Mendacium, quia Bellarminus nunquam negauit aliquid immutatum esse in Hebræo codice: sed negauit magnam admodum, aut multarum rerum mutationem factam, vt eam ob causam absolute dici possint Hebræi codices deprauati. Contradictio altera ea est, quod ait Bellarminum negare, fontes illos esse purissimos; quia nimirum aliquo in loco corrupti sunt, eundemque postea contendere, & quidem tota posteriore capitis eius parte, nihil esse immutatum. At si nihil est immutatum, purissimi fontes sunt, si fontes aliqua ex parte turbati sunt aliquid est immutatum. Quare, quod vno loco Bellarmino verè tribuit, id alio loco ab eo dictum falso inficiatur; aut si antilogiam per calumniam, affingere homini voluit; cur eum eius criminis non accusauit? Altera porrò contradictio est, quod cum Bellarminum reprehenderit ipse, quod aliquo in loco deprauatos Hebræos codices dixerit, ac negarit ipse vllo in loco deprauatos; mox & fatetur deprauatos, & rationem, qua mendum irrepsit in eos codices, & quidem vt dixi suffuratus à Bellarmino, reddit. At si nullus est error, codices immutati nullo modo sunt, si quo in loco immutati sunt, atque à veteribus discrepant, profecto corrupti sunt. si errat Bellarminus cum negat immutatos codices (hoc enim ei Danæus affingit) non errat, cum negat eos fontes purissimos fluere.

Huic

2. Huic illud est simile, quod ad caput eiusdem libri septimum excandescit in Bellarminum, quod eadem de Græcis codicibus doceat, quæ ante de Hebræis docuerat: aitque eo capite totam Diuinæ scripturæ semel fidem abrogari; quod & in Hebræis veteris testamenti codicibus, & in Græcis noui eos errores esse censeat, propter quos, purissimi fontes nobis esse non possint. At ipse non multo post ad illud ipsum caput hæc scribit. *Quæ addita, immutata, & menda Bellarminus in Græcis codicibus reperit, ea sunt in accidente, & eo leui sacræ scripturæ, id est descriptione quarundam literarum, non autem in ipsa scripturæ οὐσίᾳ, & fidei doctrina, veluti cum legitur κυρίῳ pro καιρῷ, Rom. 12. v. 11. literarum autem huiusmodi mutatio nullum præiudicium, aut mentis errorem gignit, aut dubitationem de veritate doctrinæ animis affert; nec facit quo minus Apostolica illa, & Græca editio sit fons purissimus, ad quem nobis est recurrendum; contra quam tamen iste sentit, & scribit. Hos enim leues errores esse tolerandos, istemet supra contendit, & vult, col. 70. l. C. velut vitia librariorum dumtaxat, aut typographorum.* Quibus verbis non simplicem antilogiam admittit Danæus. si enim sunt in Græcis codicibus menda aliqua, siue ea, librariorum errore, siue malitia Hæreticorum irrepserint: profectò errores, ac menda sunt, neque erunt iis in locis Latini codices, ad Græcorum exemplarium fidem corrigendi. Neque vero purissimi fontes esse ij codices possunt; in quibus menda atque errata aliqua sint, tametsi ij leui literarum mutatione corrigi possint. Quare dum hæc menda in Græcis codicibus esse fatetur, & ea tamẽ magni momenti esse negat: concedit non esse quidem eos codices plane deprauatos, ac perditos, sed tamen non plane integros, ac tales, quales ab Apostolis scriptos accepimus. Iam verò quod negat in ipsa scripturæ essentia mendum esse, quia cum legendum esset Rom. 12. v. 11. κυρίῳ legitur καιρῷ, quæ est quarundam tantum literarum inuersio: causam ipse suam prodit. Quæro enim ab Danæo, idem ne sit tempori seruire, quod Domino seruire? profectò longe aliud esse, ne Danæus quidem ipse negauerit. quanquam Melanchthonis studiosissimus est, cui articulos etiam fidei ad tempora accommodare religio non fuit. Et plerumque fit, vt dum seruire tempori volumus, Dominum ipsum contemnamus. Qua ergò ratione negat multum interesse, ita ne legamus, vt habet Latinus codex, an potius ita vt Græci corrupte legunt? Latini codices legunt Domino seruientes: Græci contra tempori seruientes, & nullum

esse dicit earũ sentẽtiarum discrimen? Hac literarum mutatione Apostoli sententia non ne periit; alia apostolico indigna Spiritu, digna Luthero eiusque catulis supposita? Quid vero interest, multarum ne vocum, an vnius apicis mutatio intercesserit: dummodo apostolicam nobis sententiam sustulerit, alienam intruserit? Altera porro huius loci contradictio ea est, quod cum Bellarminum accerime reprehenderit ad caput. 2. quod dixit errores leues qui longo tempore in scripturis fuerunt, tolerari, quia cum obesse fidei nulla ratione possint, offensionem aliquam gignere possent si tollerentur; cum inquam eo nomine Bellarminum reprehenderit, eandem ipse hic pro se responsionem affert. At si tolerandi leues errores sunt, quando fidei nihil obsunt, cur Bellarmino succenset, qui hoc docuit? si tolerandi nullo modo sunt, cur ea responsione vtitur ipse, & quidem extra rem? Neque enim quærimus in præsentia vtrum Græci codices fuerint corrigendi, sed vtrum menda aliqua in iis reperiantur. At ea responsione satis apta redditur ratio, cur à maioribus nostris errores nonnulli in scripturis tolerati sint, hodieque tolerentur, nullum autem in iis mendum esse, ea ratio non demonstrat. Imo verò, quia toleranda in Græcis codicibus menda fuisse demonstrat: menda vtique in iis fuisse concedit, quæ oportuerit tolerari. Denique etiam, non sine antilogia aliqua illud est, quod cum libro primo historiam Adulteræ Ioannis 8. vltimum Marci caput, & non nullas alias scripturæ partes, quæ in Græcis codicibus plerumque non habentur, veras sacræ scripturæ partes esse docuerit: tamen hîc contendit Græcos codices, fontes esse purissimos; neque quicquam in iis, præter paucas quasdam litteras, immutatum. At profecto historia tam enucleate, more Ioannis descripta; aut ex sexdecim Euangelii secundum Marcum capitibus, integrum caput, paucarum literarum nomine censeri non possunt: non igitur solæ nobis paucæ literæ ex Græcis codicibus perierunt; neque possunt ii fontes dici purissimi, in quibus tam bona desideretur scripturæ pars.

3 Iam illud festiuum, quod ad caput 15. libri eiusdem scribit, quo capite ostendit Bellarminus non esse necessariò vernacula populi lingua sacram scripturam in publico fidelium cœtu legendam; interque alia argumenta hoc vtitur; quia Apostoli scripserunt Græca tantum, & Hebræa, aut ad summum latina lingua: at multæ Ecclesiæ sunt apud alias nationes constitutæ Apostolorum

tempore,

tempore, quare iis linguis necesse est dicere, aut sacram scripturam tum temporis lectam in cœtu fidelium non fuisse, aut aliena, neque vernacula lingua iis lectam fuisse. Quod Bellarmini argumentũ egregius Dialecticus ita diluit. *Alias linguas,* inquit, *norant ex Dei dono Apostoli, quam solâ Hebræam, & Græcam. cuique enim genti, suo, vernaculoque ipsius gentis sermone sacram scripturam legerunt, atque prædicarunt: atque idcirco donum linguarum à Deo primum omnium acceperunt; cur autem Græce tantũ scripserunt Apostoli, ratio est, quod ea lingua scripta sua edi voluerunt, quæ tunc Ecclesiis Dei, quæ ex Gentibus collectæ fuerant esset notissima: erat autẽ Græca, non Romana, sed tamen cuiq; populo sua lingua loquebantur.* At, nisi forte nouum lectionis genus, Danæus comminiscatur, legi nisi scripta non possunt; si ergò Apostoli non, nisi lingua Græca scripserunt, eaque vernacula omnibus gentibus lingua non erat; qua ratione legere lingua earum gentium vernacula potuerunt? Aut si ea lingua legerunt, quæ esset iis nationibus vernacula, ea etiam lingua ante exarauerant; quod postmodum publice recitarunt. Deinde, si omnis multitudo Græce intelligebat, quorsum scripturam in eorum linguã conuerterent? si non omnes intelligebãt, cur non singulorum populorum linguis, sed vna tantum extare scripta sua voluerunt? quia, inquit, erat omnibus Ecclesiis notissima. Itane, vt latina hoc tempore, vt cum multi intelligant literis tantisper expoliti; vulgus tamen, & rustici non intelligant? At ea, magna erat fidelium pars, cui sua lingua, sacra scriptura legenda erat, si Hæretici vera somniant; nisi forte vtilitati Ecclesiæ Lutherus, &Caluinus, magis quam Apostoli consuluerunt. An potius ita erat omnibus Ecclesiis nota, vt ea totum etiam vulgus, non fugeret, nisi paucos quosdam planè rusticos, & imperitos? At si scripturam, dum in cœtu fidelium legeretur, ab iis etiam intelligi tanti fuit, vt operæpretium Apostoli ducerent in eorum linguam scripturam vertere, tanti profectò etiam fuit, vt operæpretium esset eam scripturæ versionem, seu editionem potius, illis Ecclesiis commendari. Sin autem tanti non fuit, cur inutilem eum laborem Apostoli susciperent, ac tam multis, magisque necessariis ad bonum Ecclesiæ occupationibus subriperent otium, vt scripturas singularum gentium linguis exararẽt? aut cur tantum laborem, tam male deinde perderent & extare nollent, ad eorum vtilitatem, quorum causa susceptus fuisset;

Vt

vt pastores, qui consequentibus temporibus gregem eum curaturi erant, quo saluti earum animarum consuleretur, minore cum vtilitate eundem scripturarum vertendarum laborem moliri cogerentur. Aut igitur non legerunt, vulgari earum gentium, apud quas concionabantur, lingua, aut scripta sua posteà dilacerarunt, & parum prudenter, & inuide.

4. Nequè desunt in 3. libro, quæ ad hoc propositum numeres, quo libro disputat Bellarminus, de intelligentia scripturarum, quæritq; 1. vtrum scriptura facilis sit intellectu, deinde de scripturarum interprete. Ad eius porrò libri caput. 1. Danæus hæc scribit; *Huius capitis .1. scopus est, docere non solũ difficilẽ esse sacræ scripturæ interpretationem, ac intelligentiam, si quiuis eã explicare conetur, id quod, & nos quoquè, & oẽs in vniuersũ concesserint &c.* Quibus verbis satis aptè concedit scripturarũ intelligentiam, non cuiuis per se, peruiã, ac facilem esse, idq; ab omnibus concedi docet. Si enim explicare scripturæ intelligentiam, atquè interpretationem afferre non cuiuis est facile: profectò aut non quiuis eam intelligit, aut non quiuis eam intelligens dicere potest quod intelligat. At nisi mutus sit, aut elinguis, minus quidem ornate, atquè minore cum apparatu, & copia; sed tamen dicere poterit, quam ijs verbis subesse sententiam, ac significari à Spiritu sancto existimet. At verò ad caput. 2. aliquantò post initium ita scribit. *Ecce quibus est obscura scriptura, ijs nempè, qui eam legendo, nolunt ex ea quicquam discere, ex quodam animi sui in eam, præiudicio, & contemptu.* Et paulò post. *Ergò sui contemptoribus, non autem cultoribus, difficilis, & obscura est sacra scriptura: & quidem solum. Præterea illa ipsa obscuritas sacræ scripturæ, etiam ijs ipsis, quibus tecta est, quiquè ex ea nihil discere cupiunt; sed illi potius contradicere: non in eo posita est, quod ea, quæ in ea scriptura dicuntur scribunturquè non intelligant; sed quod ea ipsa, quæ intelligunt, neq; sequi neq; credere volunt.* Hæc Danæus, ex quibus satis colligitur neminem esse hominum, seu pium, seu impium, dummodò non insaniat, qui verũ scripturæ sensum atquè interpretationem per se ipse non assequatur: quamuis quia impius est, ea credere nolit, quæ dici à sanctoSpiritu in scripturis videt. si enim ijs tantum scriptura obscura, & tecta est, qui eam contemnunt, idquè ita vt nè eos quidem lateat, quid ijs verbis sibi velit scriptura; nemo profectò erit, quem sacræ scripturæ germanus fugiat sensus. Id quod Danæus ipse pluribus deinde explicat. Qua autem ratione sibi hæc constãt non cuiuis homini facile esse veram scripturæ interpretationẽ, atq; intelli-

intelligentiam assequi: neque quenquam esse hominum, qui si eam legerit non intelligat? Adde verò etiam illud, quod cum omnium rerum, ad fidem pertinentium, & doctrinæ in scriptura traditæ cognitionem ita facilem, cuiuis nota sibi lingua scripturam legenti esse contendat, vt neminem ea latere, aut fugere; quamuis rudem, atque idiotam possit: tamen libro. 2. eiusdem controuersiæ ad caput 15. ad 1. Bellarmini argumentum, ita scribit. *Ludit vocis interpretandi ambigua significatione, nam interpretari significat mentem, non linguam, & idioma scriptoris exponere; quo sensu, & modo Christus est interpretatus locum Isaiæ. 61. Lucæ. 4. atque Esdras, & scribæ legem inter Iudæos interpretabantur in cœtu. Item significat linguam; seu idioma alienum in vernacula lingua transferre, quod prophetare Paulus vocat. 1. Cor. 14. quomodo Esdras non est locum scripturæ à se recitatum interpretatus.* Hæc eo loco Danæus scribit vt Bellarmini argumentum effugiat, qui ex eo quod scripturam, quæ publice legebatur, Esdras, & leuitæ populo interpretati. 2. Esdræ. c. 8. dicuntur: colligit, tunc scripturas lingua nō vernacula recitatas. At quæro ab Danæo, si tam sunt faciles scripturæ, vt quiuis, qui modo lingua sibi nota eas legerit, per se ipse satis intelligat; quid hac Esdræ, ac leuitarum interpretatione opus fuerit? aut quorsum Populum tandiu frustra detineret Esdras, ea interpretando, quæ iam satis intellexissent? aut deniquè quæ nam hæc interpretatio est, ea alteri edisserere, quæ iam sciat?

5 Addam ex. 2. controuersia non nihil, vt Danæum, in omnibus libri sui partibus eundem agnoscas. Lib. 4. ad cap. 8. mirum in modum irridet, & exagitat Bellarminum quod ad tertiæ suæ rationis confirmationem illud addidit; si Christus damnatorum hominum supplicia, & cruciatus in anima pertulisset futurum fuisse vt à veteri Ecclesia pingeretur inter damnatos in flam̄is, quemadmodum quia inter latrones crucifixus est, inter latrones cruci affixum, pingi solitum videmus. *Respondeo*, inquit Danæus, *ineptus homo est Bellarminus, qui nos ad picturas, & pictores reuocet, quorum nulla est auctoritas, iuxtà illud:*

Pictoribus, atquè poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

At hic idem, ex Græco Apostoli codice, cuius est tantopere studiosus, doctus non Domino seruire, sed tempori: controuersia 3. libro. 1. ad caput. 27. ita scribit. *Denique, quod iste æstuat in argumento, quod*

ex Pauli, tanquam excellentioris Petro, pictura aduersus suam sententiam ducitur, soluendo: nihil agit. Vetus enim illa Pauli supra Petrum pictura, & situs, arguit, quæ fuerit primitiuæ Ecclesiæ de vtroque sententia: nimirum ea vt omnibus modis Paulum Petro præferret, non autem Petrum Paulo. Ita, si quod argumentum ex pictura pro nobis ducitur, ineptum est, quia pictoribus quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. si quid fauere impietati suæ picturam existimat; ea verò primitiuæ totius Ecclesiæ iudicium exprimit atque argumentum irrefragabile est. Quid si nos vicissim, pictorum nullã auctoritatem esse contendamus, quod ab ipso Danæo prius, vt parum idonei, quibus fides habeatur reiecti sint; qua tandem ratione acturus est aduersum nos? Alterũ ergò eligat Danæus, vt aut pictorum testimonium admittat, soluatque quod aduersum se controuersia 2. obiectum, risu, & stomachatione elusit; aut istam nobis Pauli ad dexteram Petri expressi effigiem ne obiiciat: nam nos, quia picturas sacras, ex communi fidelium sensu, non ex pictorum libidine fieri solere nouimus, hoc quoque de Pauli pictura argumentum exacte soluimus, quod eo loco præstitit more suo doctissimus Bellarminus. Neque verò libro 5. 2. controuersiæ sibi magis constat Danæus, nam ad caput eius libri. 8. sic scribit. *Christus, qua homo, nihil apud Deum proprie meritus est.* Idque nõ semel postea repetit. At hic idem ad caput eius lib. 9. hæc scribit; *Superior error Bellarmini hunc quoque peperit, nempe Christum pro se ipso quoque meritum fuisse, cum ne pro se ipso quidem homo factus sit, nedum meritus, sed dumtaxat pro nobis: principium autem merendi formale in Christo, sit humanitas Christi, non autem ipsius Deitas. cum igitur principium, & fundamentum denegatur, & ea, quæ ex ipso principio promanant,* hæc eo loco Danæus. Vbi satis vides, ex eo, quod humanitas, non autem Deitas Christi, sit formale merendi principium, colligere Danæum conari, Christum sibi nihil mereri potuisse, hunc in modum: principiũ formale merendi est humanitas; humanitatem pro se non assumpsit, ergo neque meritus sibi est. nam cui denegatur fundamẽtum, atque principium, illi denegari necesse est ea, etiam, quæ principium consequuntur. Non disputo in præsentia, quam inepta hæc Danæi tanti Dialectici ratiocinatio sit, cũ eadem ratione argumẽtari liceat, stomachum, cum non sua sed viuentis causa in corpore à natura constitutus sit, non sibi etiam, sed reliquo tantum corpori cibum concoquere. De hoc, inquã, in præsentia non disputo; illud

illud huius loci est. Nihil aliud est; mereri Christum quâ hominem, nisi principium formale merendi, humanitatem eius non Deitatem esse: qua ergò ratione aut nihil qua homo meritus est, si formale merendi principium est humanitas? aut principium formale merendi est humanitas, si nihil qua homo meritus est?

6 Alteram huius capitis partem, qua ea numeranda sunt, quæ se ipsa euertunt, & contrariis sibi partibus aduersantur ex 2. plerumque controuersia exequar, ita tamen, vt non nihil ex prima etiam proferam, ne vllum in vlla operis huius parte vitium desiderari quis existimet. Libro. 3. 1. controuersiæ, ad caput. 2. si vnquam alias vecordiam suam prodit, dum scripturam sacram & facilem, & difficilem esse intellectu docere vult: vt & nostris rationibus satis videatur facere; neque ab hæresi sua discedere. Nã totam scripturæ interpretationem in his potissimum collocat. Primò in sensu intelligendo. Secundò in intelligenda verborum vi. Tertiò in serie, & connexione, orationis percipienda. Quartò in robore, ac pondere argumẽti, quod in eo loco continetur, siue vt paulo post ille dicit, in syllogismis, qui in textu latent, rimandis. Primum hoc est sententiæ intellectum, ait, esse omnium hominum; cetera literatorum. Atque ita sacram scripturam, quoad sensus intelligentiã facilem, atque omnibus expositam esse; quoad cetera literatorum commentariis indigere. Quibus prolatis, vt sapere sibi, & rem acu videtur tangere; ita se ipse implicat, & confutat. Cui enim dubium esse potest, quin vis, ac propria vocum significatio perspecta, plurimum conferat ad locum aliquem intelligendum, & plerumque magnæ oboriantur lectori tenebræ, quia propriam vocum significationẽ non tenet: imo verò sẽtẽtia longe alia, & nonnumquã contraria subesse verbis videatur, quam quæ subest, quia vis vocis, ac proprietas ignoratur? qua igitur ratione, cuilibet exacte scripturæ sensus poterit esse perspectus, cum paucis tantum, ac literatis vis, & significatio vocis perspecta sit? Iam verò quis est tam rudis, atque expers Dialecticæ, qui nesciat, eandem plane enunciationem, pro rei, de qua sermo est natura, aliam, atque aliam significationem induere; vt non nisi ex ipso sermonis textu, atque antecedentium, cum consequentibus consensione statui possit, quæ, cuius propositionis hoc, aut illo loco propria significatio sit? Nam hæc propositio, verbi gratia, ille homo currit, si de pictura dicatur, idem significat,

acsi diceres, imago illa cursum hominis exprimit; eadem propositio, si de homine ipso sit sermo, significat illum hominem vere currere; neque verò dignosci, aut diiudicari ex ipsis huius propositionis vocibus potest, hoc ne, an illud significare velis; sed rimari ex adiunctis, eius significationem cogimur. Multum igitur interest, ad mentem scriptoris eliciendam, ipsam orationis seriem, textumque sermonis tenere, ac vix videtur fieri posse, vt qui seriem orationis non tenet, is integrum aliquem scriptoris cuiusquam locum bene intelligat. Dum ergò Danæus omnibus hominibus ita concedit scripturarum sensus intelligentiam, vt neget expositam iisdem esse ipsam orationis scripturæ seriem; ita vult ab iis scripturas intelligi, vt re vera non intelligantur. Denique si ipsa argumentorum vis, & latentes in sacris oraculis syllogismi, non omnibus noti sunt, magna etiam scripturarum, atque articulorum fidei pars necessariò ignorabitur. Nam 1. vt ex Danæo iam ante docuimus, non solum ea, quæ totidem verbis in sacris libris expressa legimus, sed etiam ea, quæ ex analogia fidei, & bonæ consequentiæ regulis ex iis, quæ scripta sunt necessario sequuntur, verbum Dei censenda sunt, atque eodem habenda loco, quo ea, quæ conceptis in scriptura verbis leguntur: at, qui vim, ac pondus argumentorum, quæ in scriptura latent non percipit, neque diiudicare potest, quid, ex quo necessario sequatur, quid secus; is hæc omnia nosse non potest: magnam igitur verbi Dei partem, quæ in scriptura latet, ii nesciunt, qui dialecticis exculti non sunt, hoc est hominum maxima pars. Deinde cum quis ratiocinatione vtitur, vt aliquid probet, nisi vim ratiocinationis eius, atque argumenti pondus animo teneas, eum profecto nunquam intellexisse diceris: aliud est enim voces, & grammaticam earum significationem vtcumque percipere, aliud ipsam scriptoris mentem perspectam habere; illud, modo linguam intelligas, satis assequeris; hoc nisi res ipsas capias, nnnquam habebis. Intelligebant Discipuli verborum significationem, cum eis Dominus de ascensu suo, & morte, quam obiturus erat Hierosolymis loqueretur Lucæ. 18. neque enim hæc ignota eis lingua dicebat; at illi, nihil horũ intellexerũt, quia cũ verba intelligerẽt, sentẽtiam nõ tenebant; quare si vim rationũ, atq; argumentorũ nõ intelligunt, nisi qui Dialecticis eruditi sunt, maximã scripturæ partẽ, non intelligunt idiotæ. Adde etiã illud, quod plerumque scriptoris sententiam, quia ambigua est, ex ratione colligimus,

gimus, qua eam probat; vt id dicere voluisse credatur, scriptor, quod eius argumentatione concluditur. At qui non intelligit, quid, qua ratiocinatione concludatur, qua ratione poterit, ex ipso rationis pondere, atque argumenti vi, tutò rimari, quid Spiritus sanctus eo loco voluerit? Huc accedit, quod non infrequens est scriptoribus tum sacris, tum verò etiam profanis; vt cum id protulerint, in quo vis argumenti posita est, ac medium, vt aiunt, terminum explicarint, cetera, vel omnino prætermittant, vel leuiter admodum adumbrent; qua ergò ratione scriptoris sensum, ac mẽtem intelligat is, qui latentes in scriptura syllogismos, eorumque robur ignoret? quare cum doctrinam, quæ in scripturis traditur intelligi à quolibet, qui modo nota sibi lingua eam legat, Danæus contendat, & tamen vim, ac proprietatem verborum, seriem, ac textum sermonis, vim argumentorum, quibus vtitur scriptura, & latentes in ea syllogismos ignorari posse concedat; profectò docet ita scripturam ab idiotis intelligi, vt revera non intelligatur. scitum est, quod de Lutherano quodam ministro, audire me memini, qui, vt Danaica ista ratione, scripturas intelligebat, ex iis epistolæ ad Philemonem verbis. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo; efficere nitebatur, licere etiam Euangelij ministris dare operam liberis. Tenebat ille nimirum grammaticam vocum significationem, idque ægre admodum; ceterum, quia textum sermonis, & metaphoricum vocis vsum non tenebat, quorsum ea dicerentur, aut quis esset verborum sensus non intelligebat.

7. Age verò, iam, ad secundam controuersiam veniamus, ex qua paulo plura sunt proferenda sed breuius. Controuersia igitur 2. lib. 1. ad. 14 & duo consequentia capita, verborum illorum. Tunc et ipse filius subiicietur patri, 1. Cor. 15. interpretationem quam Bellarminus aduersus Arianos attulit cap. 16. Danæus reiicit, cum ne longa quidem manu Pauli locum, ac mentem attingere eum dicat. *Nec Gentilium fabulam,* inquit, *de Saturno à Ioue expulso spectauit Paulus, vt iste putat col. 278. l. B. nec ipsam humanam Christi naturam significat Paulus, quæ semper, & in cœlis, & in terris Patri subiecta fuit, ex loco Ioan. cap. 6. v. 38. quem locum hoc ipso capite citat Bellarminus: Verum hæc loci explicatio tam obscuri, ex nostrorum, quos gratis odio habet, & immerito, commentariis petenda fuit. Hæc enim Pauli verba pertinent ad formam, & modum regiminis, quo Christus, Rex*

 omnium

omnium à patre constitutus omnia gubernat, per quem vicarius Patris est, & agit. Tunc autem modus regiminis istius abolebitur, omnis enim alia potestas, præterquam illa quæ Deus est, cessabit: erit enim (addit Paulus) Deus omnia in omnibus. Ergò ad externum regimen respicit Paulus, quo Christus vt caput, mundum gubernat, & Ecclesiam suam constitutis sub se aliis ministris. Hæc Danæus, vbi in primis illud notari velim, locum eum Pauli, vel Danæo teste obscurissimũ esse, neq; sine commentariis facile intelligi posse: quod certe nõ admodum cõsentit iis, quæ de facilitate, & perspicuitate scripturæ, & reliqui Hæretici vulgo iactant, & Danæus inprimis I. controu. libro 3. docuit, qui vult cuilibet nõ insano eius intellectũ ita patere, vt quod quidẽ ad doctrinã fidei spectat, nullam plane habeat difficultatem. Deinde à lectoribus illud animaduerti velim, negare conceptis verbis Danæũ, id quod dicit Apostolus, fore, vt tunc Filius subiiciatur Patri, de Christo secundũ naturam humanã intelligi, idque eam ob causam, quia etiã ante illud tempus, secundũ naturam humanam Christus subiectus est Patri. Quæro igitur ab Danæo, velitine de Christo secundum naturam diuinam id intelligi? si affirmat, Arianus est, aut Ariano deterior; qualis enim ista Diuinitas est cuius gloria marcescit, cuius regimen aboletur, cuius potentia tollitur, quæ vicariam habet, non innatam, non insitam, non incommutabilem potestatem? si negat; aut tertiam quandam in CHRISTO naturam comminiscatur necesse est, aut de CHRISTO, secundum humanam naturam id ab Apostolo dictum confiteatur: quare ergò Bellarminum reprehendit qui de CHRISTO, secundum humanam naturam interpretatur eam Apostoli vocem? Illud fortasse responderit, Bellarminum de naturæ ipsius humanæ subiectione ea verba interpretari, se verò de subiectione regiminis, non naturæ; quia, cum regere Ecclesiam desierit, secundum naturam humanam Filius, tunc secundum regimen subiicietur Patri. sed ne sic quidem effugiet. Quæro enim à Danæo, velit ne ita Ecclesiam, à CHRISTO homine regi, vt in ea administratione Patri subiectum se esse agnoscat? Nam si subiectum esse ait, sua illa ratione, quam aduersus Bellarminum attulit, iugulatur; cum enim nunc quoque in administranda Ecclesia, Patri subiectus sit; qua ratione, quia vicarium imperium gerere desinet, tunc primum dice-

dicetur Patri ſubiici? aut ſi hoc abſurdum non eſt, cur hoc quaſi abſurdum obiicit Bellarmino? At vir ille doctiſſimus, quia abſurdum eſſe animaduertit, ſi tunc primum Patri filius. dicatur incipere ſubiectus eſſe, negauit illa particula temporis, id eo loco ſignificari, ſed illud potius Apoſtolum velle docuit, ne tum quidem, cum CHRISTVS ſubiecerit ſibi omnia, in illo triumpho, atque victoria; futurum, vt à Patris poteſtate ſe ſubtrahat. *Reſpondeo* inquit, *illud TVNC, quandam habere emphaſim; eſt enim ſenſus: etiam tunc in illa gloria erit ſubiectus Chriſtus vt homo.* Vt Danæus, impediendi ſui cauſa, non aduerſus Bellarminum eam rationem attuliſſe videatur.

Ad. 17. & duo conſequentia capita, dum verborum illorum; ſedere ad dexteram, & ſiniſtram meam, non eſt meum dare vobis, Matt. 20. allatam à Bellarmino explicationem exagitat, ſuam, neſcio quam laudat; miſerandum in modum ſeſe implicat Danæus. Ariani, & Chriſti Diuinitatis inimici, ex eo colligebant Chriſtum non eſſe Deum, quia negauit ſuum eſſe dare ſedes, ſed potius Patris. Reſpondet Bellarminus cap. 19. non hoc eo loco ſignificari, ſed illud potius, non eſſe Filii, qui iuſtus eſt iudex, primas ſedes filiis Zebedæi dare, quia amici, & affines erant; ſed iis, qui eas eſſent promeriti, quia talibus eas Pater ab æterno deſtinarat. Hanc Bellarmini ſolutionem, duabus de cauſis reſpuit Danæus. Altera, quia merita concedit, quæ Caluiniſtis, aliiſque Hæreticis nulla ſunt apud Deum. Altera quod de ſedibus Regni cœleſtis hæc verba interpretatur, quæ ipſe, de terrenis ſedibus intelligi debere, exiſtimat. *Plane*, inquit, *de primis in his terrenis ſedibus obtinendis, poſtulatio facta fuerat Chriſto, à matre duorum iſtorum adoleſcentium, quæ Regnum Chriſti, non niſi terrenum, & in his terris, tunc cogitabat.* Hæc Danæus, qui dum ſuam ipſe ſolutionem affert, ad cœleſtes ſedes deinde diuertit. *Solutio eſt*, inquit, *quam in meis in Matth. quæſtionibus q. 83. attuli; quod Chriſtus conditionẽ eam, in qua tunc erat, diſtinguere, à futura ſua poſtea gloria, & ab arcano illo Dei decreto, à quo plane illud donũ dependet, diſtinguere voluit. Id quod ipſius Chriſti verba manifeſte declarant.* Hæc ille, ita, & obſcure, & breuiter, vt vix ſcire poſſis quid ſibi velit, aut qua ratione, ſuã hanc explicationẽ ad verba Domini applicet. ſed tamen illud certum eſt, cum dicit Dominus, ſed quibus paratum eſt à Patre meo, verba illa de futura gloria, & arcano prædeſti-

nationis

ationis decreto ab Danæo intelligi, quare, aut turpem, atque intolerabilem æquiuocationem in verbis Domini admittet; aut omnino in sententiam Bellarmini veniet. Nam cum dixit Dominus, sedere ad dextram, & sinistram, non est meum dare vobis, si intelligit de terrena gloria, & Regni corruptibilis sedibus, sensus verborum Domini erit, Non est meum dare vobis sedes terrenas; sed est meum dare illis sedes cœlestes, quibus paratum est hoc bonum à Patre meo. At verba illa sedere ad dexteram, & sinistram meam; quanquam semel tantum in ea oratione posita sunt, quia tamen ad vtramque pertinent orationis illius partem; perinde est, ac si repeterentur, ac diceret Dominus, sedere ad dexteram, & sinistram meam non est meum dare vobis, sed sedere ad dexteram, & sinistram meam, est meum dare iis, quibus paratum est à Patre meo. Quare si ea verba bis repetita duplicem haberent significationẽ, vt priore loco de terrena, posteriore de cœlesti gloria dicerentur, vtramque nunc simul habebunt, etiam si semel expressa sint: quod si maxima fuisset æquiuocatio, si cum Dominus ita dixisset, sedere ad dexteram, & sinistram meam non est meum dare vobis, sed sedere ad dexteram, ac sinistram meam, meum est dare, quibus paratum est à Patre meo, voces sedendi ad dexteram, & sinistram non eodem modo vtrobique accepisset, quanto maior, minusque tolerabilis æquiuocatio erit, si in iisdem plane, ac semel vsurpatis vocibus, vtraque latere significatio dicatur? Sin autem Danæus omnia illa de futura gloria, & arcano Dei decreto, dicta maluerit à Domino; quæ in Bellarmino reprehendit, eadem ipse, sed obscurius, vt est filius tenebrarum, atque intricatius docet.

8. Ex 4. libro 2. controuersiæ vbi duo protulero, finem huic capiti imponam. Ad caput igitur eius libri. 5. §. ad vltimam scripturam. Caluini de Christo in horto orante blasphemias, ita excusare nititur, vt secum ipse, in ea tota excusatione pugnet. Dixerat Caluinus Christum orationem suam, vt non satis meditatam, statim reuocasse, eamque fuisse vocem doloris impetu repentinam; votum abreptum, & similia alia, de quibus libro superiore disputauimus, cum Danæi pro Hæreticis mendacia dinumeraremus. Eum Bellarminus, cap. 5. §. ad vltimam scripturam, iure optimo reprehendit; Danæus his verbis excusat. *Dixit Caluinus*, inquit, *spectans hominum, de Christo, ista precante iudicium, Christum sese castigasse, ac reuocasse: fuit autem ista oratio testimonium Christi hominis pro nobis*

nobis summè in anima; (nec dum enim vllam, in vlla corporis sui parte plagam acceperat) vereque afflicti, & pro peccatis nostris expiandis, quorum totam pœnam pertulit, atque in ea Christus versans ostendit nullas esse tantas vnius creaturæ, tam potentes vires, quæ non sub Dei iudicio fatiscant. Ergo istæ Christi preces sunt, fueruntque hominis, ac proinde creaturæ cum Dei summo iudicio luctantis; illudque, velut rem acerbissimam, & plagam horribilissimam sentientis: non autem hominis Deo reluctantis, aut aliud, quam Dei voluntatem fieri expresse cupientis. Quibus verbis præter eam contradictionem, quam obiter libro superiore notauimus, ea quoque non satis sibi constant. Primum, quod eam orationem ait fuisse testimonium Christi hominis summè in anima afflicti. At, si vel serio Christus non agebat, id quod agere videbatur; vel homines de eius consternatione animi, & votorum alternatione aliter iudicant, quam iudicandum sit, non potest ea oratio, eius afflictionis, ac deiectionis animi testimonium esse; quod vel cum ficta sit veri sensus animi indicium esse non potest; vel cum non id significet, quod homines significare existimant, videtur illis quidem summam illam afflictionem animi satis indicare, sed non indicat. Alterum, quod ostendisse Christum ait, nullas esse vnius creaturæ tam potentes vires; quæ non sub Dei iudicio fatiscant. Si enim vere id ostendit, tum, cum in horto orabat, vires eius, vt hominis, sub Dei iudicio vtique fatiscebant: fluctuabat igitur incertus animi, & reciproco æstu votorum, vere iactabatur: sin autem immota mens, & animus sui potens nullam in partem dimouebatur, profecto sub Dei iudicio non fatiscebant vires eius. Quod si ita se gessit, ac si fatiscerent vires, & labefactaretur animi eius constantia, cum tamen inuictus, atque immotus animus eius persisteret, profectò id non vere ostendit; ac falsum nobis persuadere conatus est. Nam cum sustinere Dei iudicium humanitas eius potuerit, & consequenter alicuius creaturæ vires tantæ esse possint quæ Dei iudicium immotæ sustineant; ipse nullo modo vllis creaturæ viribus sustineri illud posse simulauit. 3. illud est, quod ait preces illas fuisse hominis, ac proinde creaturæ cum Deo summo iudicio luctantis, non reluctantis tamen. Nam, si cum fieri aliquid Deus omnino vellet, id Christus, & si vehementer eo angeretur, nihil moratus, neque repugnans fecit: profectò non modo non reluctatus est Deo, sed ne luctatus quidem. sin autem cum acerbitates illas subire, Christi animam Pater vellet, ille contra

nitebatùr, nequè sentiebat modo vim doloris, sed etiam refugiebat, & luctabatur cum Deo, & reluctabatur Deo. Nequè enim, cum reluctandi vox transfertur ad animum, quicquam significat aliud, quam animorum in contraria nitentium studia.

Ad caput libri eius octauum, ad secundam Bellarmini rationem, vt probet ex scripturis, Christum Dominum, dolores damnatorum hominum, in anima sua sensisse, affert locum ex Ioa. 12. Turbata est anima mea. Quæ verba à CHRISTO dicta fuisse aliquot diebus ante, quam pateretur; & textus ipse Euangelicæ historiæ docet, & Danæus fatetur. At cum CHRISTI descensus ad inferos, non antè cœperit, quam cœperit ipse in horto, pauere, tædere, & mœstus esse, ex Caluini sententia, alterum necessario sequitur; aut pœnas damnatorum pati cœpisse animam Christi antequam descenderet ad inferos, hoc est ad inferos antè descendisse, quam descenderit, cum descendere ad inferos, apud Caluinum nihil sit aliud, quam pœnas Damnatorum pati, aut certè eo loco, non de damnatorum doloribus, sed de aliqua alia animi affectione, ac dolore sermonem esse. Nequè modo eum locum extrà rem planè allatum à Danæo; sed illud etiam, in anima passum esse Dominũ, præter dolores inferni alios etiam cruciatus. Quod si ità est, qua ratione ex Scripturis blasphemiam suam probabit Danæus? & si enim angores, ac dolores animi passum esse Dominum Scriptura commemorat: eos tamen gehennæ dolores esse, neq; Scriptura dicit, nequè verò magis consequens est, quã si quis ità argumentetur; patitur quispiam dolores corporis, ergò capite laborat, aut pedibus: quarè cum ex eo, quem pro se citat Ioannis. loco satis constet animi alios etiam, quam infernos dolores Christum Dominum perpessum esse: illud item constat, nullum Scripturæ locum, quo loco dolores animi passus Dominus memoratur, ac nihil præterea additur, vlla ratione facere ad probandam Danæi, Caluiniquè blasphemiam; & cum maximè Danæus, confirmare eam nititur, non labefactare modo, sed euertere etiam funditus.

Ineptiæ Danæi.

CAPVT. VI.

Locus hic infinitus propemodum est futurus, si paulo tractetur accuratius, vt ipsa rerum multitudo, me cogat maximam partem

partem omittere, ne & bonas horas in his nugis, male collocem ipse, & lectorum ad meliora festinantium studia frustra morer, præsertim cum superioribus etiam capitibus, non pauca obiter adnotarim, ex quibus satis intelligere prudens Lector potuerit, quam nihil sit in hoc homine aptum, nihil quod literatum, aut cordatum hominem sapiat. Eam igitur disputationis huius inibo rationem, vt quæ de huius hominis ineptijs, et imperitia sunt dicenda, ad certa quædam capita reuocem, atquè exempla subijciam, nisi si quando aliquid attulero tam familiare Danæo, vt exempli loco, totus ferè eius liber esse possit.

1. Illud igitur primum sit ab isto homine inepté, atquè insulsè eruditionis opinionem captari. Nam vt facetè grammaticum se probaret, græcis, nescio quibus ex Erasmo adagiolis respergere scripta sua instituit: Ineptè, quod in re tam graui, ludit tam leuiter; imprudenter, quod non animaduertit alieno studio comparatam eruditionem, quasi pluuialem aquam citò exhauriri. Itaque grammaticus ille lusus né ad finem quidem primæ controuersiæ hominem comitatus defecit. Nequè illud minus ridiculum, quod eadem sæpé græcis primum, deinde latinis nominibus dicit; id illi in censuris librorum familiare est, cum Bellarmini, quæ fingit vitia, numerat, lexicũ potius ab eo aliquod scribi, quam censuram existimes. At, si vocem latinam habes, qua vtaris, cur alienam adhibes? si non habes, cur latinam addis? si græcè mauis dicere, vt te græcis etiam literis imbutum esse credamus; voce latina, quid fuit opus? an neminem futurum existimabas, qui adhibito Henrici Stephani Thesauro, in quo tu tuam omnem eruditionem repositam habere te indicas, cum ad eum subinde prouocas, vocis vnius græculæ significationem posset expiscari?

2. Quid quod grauiores etiam res attingere, et scriptores citare ausus, nè inscriptionem quidem librorum, satis sibi notam esse ostendit? certe nemo est tam leuiter in Scholasticorum scriptis versatus, qui ullum esse putet, S. Thomæ librum, cui inscriptio sit tertia secundæ: at in Danæi scriptis hunc etiã eius scriptoris librum frequenter citatum suprà notauimus. Existimabam, cum primum id ocurrit erratum esse typographi, sed cum tertiam secundæ, pro tertia parte constanter omnibus in locis citari deindè vidissem, animaduerti vitium illud esse, non typographi, sed scriptoris, qui, vt vidit ex libris summæ theologicæ Sancti Thomæ, esse qui prima

 secunda

secundæ, quique secunda secundæ inscriberetur, aliquem item esse suspicatus est, cui tertia secundæ inscriptio sit. At librorum inscriptiones, ac nomina, non magnopere curauit, vt disceret: res ipsas, quæ libris continentur, discere maluit. Ita plane, nam quamquam de duabus in Christo naturis aduersus Kemnitium, scripsisse se gloriatur; ne intelligit quidem, quid vnionis hypostaticæ nomine significetur. Certe nemo est, qui modò Theologiam à limine salutarit, qui vnionem naturæ specificæ cum suo indiuiduo, vnionem esse hypostaticam suspicetur: at egregius hic ex Henrici Thesauro, atque Erasmi adagiis Theologus; eam quoque numerat in hypostaticis vnionibus. Nam libro. 3. 2. controuersiæ, ad caput 8. quo capite explicat Bellarminus, in quo sita sit vnionis hypostaticæ natura, ita probat ea, quæ traduntur eo capite, vt dum vult eruditus videri, summam rerum Theologicarum, inscitiam, atque imperitiam prodat. *Alias*, inquit, *vnionis hypostaticæ, atque adeo plures species numerat Damascenus in Dialectica.* At Damascenus, quæ, quotue sint vnionis hypostaticæ species non memorat, sed c. 27. docet, quot modis ἐνυπόςατον dicatur. Ex quo Damasceni loco, si colligit Danæus alias esse vnionis hypostaticæ species, non potest aliunde colligere, nisi quod tot necesse est esse vnionis eius species, quot sunt ἐνυποςάτου. Quod si concesserit Danæus, tenetur. Nam, cum Damascenus eo loco etiam naturam specificam, ἐνυπόςατον esse dicat, quia in suis indiuiduis subsistit, ea quoque dicenda erit vnio hypostatica.

Ac ne forte plus in philosophicis intelligere, quam in Theologicis existimetur, non nihil proferam ex 2. controuersiæ libro. 4. ad caput 1. quo loco, tanto studio pro Caluiniana illa ignorantia pugnat; vt eam in animorum etiam ipsam naturam conuertere, atque inserere penitus mortalium mentibus studeat. Nam, ex eo, quod Origenes, ac Leo Magnus docent Christum Dominum animam, nostrarum animarum natura similem, suscepisse: colligit vir egregius eum ignorantiam quoque suscepisse. Id autem nulla ratione consequens est; nisi si ita ratiocinetur Danæus. suscepit animam eiusdem nobiscum naturæ, ea igitur etiam, quæ ad animæ naturam spectant; at ignorantia ad animæ naturam pertinet, ignorantiam igitur Christus suscepit. Quod, & si Danæus forte concesserit, qui tanto tempore versatus in studio literarum, nihil aliud didicit, nisi, vt ignorantiam tueretur; reliqui tamen mortales

les qui ſtudio, ac diligentia inſcitiam abſtergi, & diſciplinis expoliri animum, magno ſuo bono ſentiunt, hanc Manicheæ inſaniæ ſupparem amentiam laturi non ſunt. Libro quinto ad caput octauum in ipſo initio hæc ſcribit. *Docet autem Chriſtus velut inſtrumentũ quidem ratione Dei, ſed noſtri ratione velut cauſa. Io. 6. v. 45. Matth. 12. v. 18. 23. v. 8. 1. Io. 2. v. 27.* Quo loco neſcio vtrũ prius mirer acumẽ ne hominis, an ſcientiã ſcripturarũ. Quod enim iſtud eſt diſtinctionis genus? aut vbi vnquã hoc auditũ eſt? malleũ ſi ad fabrum conferatur inſtrumentũ eſſe; ſi ad opus, quod malleo fit cauſam eſſe. Atqui inſtrumentum eſt alicuius ad aliquid conficiendum inſtrumentum: quare medium eſt inter cauſam, & effectum. ſi quid igitur ita efficit, vt medium non ſit, nullo modo eſt inſtrumentum; ſi ita efficit, vt cauſam, atque effectum intercedat, profecto ratione etiam effectus inſtrumentum eſt; ita enim efficit, vt virtute cauſæ efficiat. Si ergo Chriſtus ratione Dei, inſtrumentum eſt, dum nos docet; ratione etiam noſtri, inſtrumentum eſt Dei: ſin autem ita nos docet, vt noſtræ diſciplinæ cauſa ipſe ſit, neque moueatur à Deo, qui per eum nos doceat: ratione etiam Dei cauſa eſt, dum nos docet. Neque enim fieri poteſt, vt ita doceat, vt ad docendos nos, ſimul & moueatur, & non moueatur à Deo. Quare, ſi ad docendos nos mouetur, etiam ratione noſtri inſtrumentum eſt: nam eam doctrinam nos ab inſtrumento Dei haurimus: ſi non mouetur, ne ratione quidem Dei inſtrumentum eſt. Habes hominis acumen, iam ſcientiam ſcripturarum inſpiciamus.

Quatuor omnino citat teſtimonia ex ſacris literis, ad ſuæ huius diſtinctionis confirmationem, & ne vnum quidem eſt ad rem. Incipiamus ab vltimo. I. Ioan 2. v. 27 hæc habes. *Et vos vnctionẽ, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis, & nõ neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos, ſed ſicut vnctio eius, docet vos de omnibus, & verũ eſt & nõ eſt mendaciũ, & ſicut docuit vos, manete in eo.* Quid in his verbis Spiritus ſancti, cũ hac Danæi diſtinctione cõmune? vnctio Chriſti docet nos, Chriſtus nos docuit, ergò Chriſtus ratione Dei eſt inſtrumentũ, ratione noſtri eſt cauſa, cum nos docet? Ita latentes in ſcripturis ſyllogiſmos, rimantur, viri acuti, atque eruditi Calniniſtæ. Ita Matth. 23. v. 8. Nolite vocari Rabbi, vnus eſt enim magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis. Qua ratione hinc Danæus, ſuã illam diſtinctionem colligit? aut qua ratione iis

Domini verbis subnectit? Nō quærimus, vir optime, vtrū Christus magister noster sit; id ex scripturis satis scimus: nō quærimus, vtrum natura eius humana, ad docendos nos instrumentū fuerit Deitatis; id compertum est omnibus Christianis: illud quærimus, vtrum ita ratione Dei, dum nos doceret fuerit instrumentum, vt ratione nostri, non instrumentū Dei, sed causa fuerit. Id ex scripturis probaturum te recepisti; id ex eo Matthæi loco, qua ratione colligas scire velim. Nos magistri vocari non debemus; quia vnus est omnium nostrū magister Christus; ergò Christus, dum nos docet, ratione nostri causa est, ratione Dei instrumentum. O bene collocatā in Melanchthone versando inepti hominis diligentiam. Matth. 12. v. 18. citatur Isaiæ de Christo vaticiniū. Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ; ponā super eum spiritū meum, & iudiciū gentibus nunciabit. Ex his Isaiæ verbis, quid habet, ad suā illam tam acutā distinctionē confirmandā? Deniq; Io. 6. v. 45 Est scriptū in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei, Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Quod hîc de Christo doctore verbū? sermo eo loco est, de interna illuminatione animæ, qua ea, quæ à Christo prædicātur, Dei spiritu inclināte animum ad agnitionē veritatis, amplectimur; quod est à Patre audire, ac discere; qualis illa fuit illustratio mentis, qua Petrus Christi diuinitatem agnouit, atque confessus est; non carne, & sanguine, sed Patre, qui in cœils est mysterium reuelante.

3 Possem quingenta huius generis scripturæ, ab Danæo allata testimonia cōmemorare; sed nihil est opus in ea re nos diutius immorari. Aliud nō minus festiuū in hoc scripturarū negotio, ineptiarum Danæi genus commemorandum est. Ex lib. 4. I. controu. ad caput eius libri. 4. ad 1. Bellarmini argumentum; quod quia iugulari eo se sentiebat, multis modis frustra conatus eludere; tandem, *Falsum*, inquit, *supponit, & sibi concedi postulat, dum ait, ante Mosen, nullam Diuinam scripturam extitisse, & fuisse; fuit enim saltem liber Enochi, cuius meminit Iudas in epistola. v. 14. Vidi etiam ipse librum Abrahami Patriarchæ, & legi.* Quo loco primo egregiè mētitur, de libro Enochi, cuius ait fieri mentionē, in epistola Iudæ. Nam Iudas, meminit ille quidē prophetiæ Enoch; vtrū autem eā scripserit Enoch ipse, an traditione tantum, ad posteros deuenerit; an verò aliquis alius illud Enochi vaticinium literis consignarit, Iudas non commemorat; nisi forte altercatio Michaëlis cum Diabolo,

pro

pro corpore Moysi, cuius Iudas meminit, traditione transmitti ad posteros potuit, Enochi vaticiniũ non potuit. 2. etiam si id ita esse con cesserimus, difficultatem non soluit, sed transfert: quia cũ Enoch ab Adam septimus fuerit, vt etiam Iudas annotauit, atque à creatione Adæ, ad Enochi vsque tempora, hominum genus propagatum, atque auctum, in infinitam pene multitudinem fuerit; ante librum istum ab eo Propheta scriptum, sine scripturis vllis, quicumque Deo placuerunt, vixisse omnes, & credidisse necesse est. Fuit ergò aliquando Ecclesia Dei, sine vlla scriptura, ac sola traditione didicit, quid credi, quid ad Dei cultum fieri, opus foret. Sed hæc missa facio, quia non sunt huius loci. Librum illum Abrahæ Patriarchæ, quem vidisse sese, ac legisse Danæus scribit; scire velim, scriptum ne ab eo, & canonicum esse putet? si negat, quorsum profert ad probandum, ante libros Mosi alias fuisse scripturas canonicas? si affirmat, profectò, vel iudicibus aduersariis nostris delirat Danæus: quis enim vnquam Catholicorũ, aut etiam Hæreticorum, dum canonicorum librorũ catalogum texeret, huius libri mentionẽ fecit? quis scriptor Ecclesiasticus, aut ex eo testimoniũ vllum protulit, aut scriptũ vnquã ab Abrahamo librum somniauit? si libri Apostolici, & prophetici, ex vetere historia Danæo auctore diiudicandi sunt; qua ratione liber hic propheticus esse probabitur; cuius nulla vnquam historia, nullus vetustus scriptor, ac forte etiam nullus præter Danæum ex recentioribus fecerit mentionem? Denique si canonicus est, cur eum Ecclesiæ Dei inuidet? cur non edit in lucem? cur non docet Ecclesiam eas scripturas, quas, ex quo condita est nunquam agnouit? Ac ne ab eo capite digrediar; libet ridiculum Danæi paradoxũ, quo secundam Bellarmini contra Hæreticos demonstrationẽ eludere nititur, adscribere. Ostendit Bellarminus hac ratione non omnia à Deo reuelata; in scripturis his, quas habemus præ manibus contineri, quia multos ex libris sacris periisse certum est; in quibus multa continebantur, ad fidem nostram erudiendam: ergo non omnia reuelata à Deo, in his scripturis, quas nunc habemus, continentur; si enim eadem plane in iis libris inculcabantur, quorsum eos inspirasset Spiritus sanctus, nulli vsui futuros Ecclesiæ? si autem aliquid in iis libris erat, quod in his non habetur, profectò nõ omnia à Deo reuelata, in his scripturis continentur. Eam rationẽ, vt soluat Danæus, negat in vllo libro canonico

canonico quicquam contineri, quod non contineatur in altero; sed itá tamen, vt vnus sit alterius interpretatio. *Qui plures*, inquit, *sacri libri scripti sunt, vnam, & eandem doctrinam continent; quæ, vel in vno dumtaxat libro superstite, alijs amissis remanet; neque propterea doctrinæ salutaris essentia esset immutata, aut manca, sed difficilior, dũtaxat illius interpretatio, si alij libri, præter vnum, amitterentur. Ait Paulus se ex tota Euangelica Doctrina, didicisse hoc breuissimum, Iesum Christum, nempè crucifixum. 1. Cor. 2. v. 2. Reliqua igitur Euangelica scripta, sunt huius sententiæ explicatio solum, & confirmatio.* Hæc eo loco, atque in eam sententiam multa alia Danæus. Ego Caluinianum hoc paradoxum, quod, vel vnicum, satis conuincit, nihil esse apud istos homines solidi, nihil veri; non alia ratione confuto, nisi, quod Lectorem Rogo, consulat ipse se se, sit ne hæc eadem veritas, Iesus Christus Crucifixus est, cum his aliis: Acceperunt Discipuli Spiritum Sanctum; Christus natus est de Virgine: Deus est Trinus, &, Vnus: Spiritus sanctus ex Patre Filioquè procedit: Futura est aliquando mortuorum resurrectio: Christus ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram Patris: Deus creator est visibilium, & inuisibilium: Duæ sunt in Christo naturæ, sed vna persona. Nam si hæ omnes diuersę propositiones sunt, ac diuersam continent veritatem; profectò falsò Danæus dicit totam fidei Doctrinam, in ea propositione contineri: Iesus Christus crucifixus est. Rursus illud lectorem rogo, eandem ne historiam esse putet, quæ de mundi creatione, hominis lapsu, humani generis propagatione, aquarum eluuione, atq; alijs id genus scribitur; cum iis, quæ de profectione Israelitarum in terram promissionis ex Ægypto, dequè eorum itineribus, seditionibus, pugnisq; narrantur. Idem ne esse existimet, leges populo dare, mores atquè instituta condere, sacrorum ritum præscribere, ac Iudicum historias, aut Regum narrare; vel vaticinia scribere futurorum: at profectò nihil horum omnium est, quod à Deo reuelatum non sit, quodquè credi ab homine fideli non debeat.

4 Iam verò quam ineptus est in axiomatis? controu. 2. lib. 4. ad caput 1. paulò post initium, vbi ex eo quod scriptura dicit, profecisse Samuelem, 1. Regum, & apud Lucam profecisse Ioannem puerũ, idquè intelligitur de eo profectu, quo maiorem indies, Spiritus sancti gratiam, & nouam sapientiam consequebantur; argumentatur, cum apud sanctum Lucam dicitur Dominus profecisse, eodem planè modo debere intelligi; *quia iisdem verbis*, inquit, *res eadẽ,*

& pro-

& profectus similis, procul dubio in scripturis significatur. Ita vero etiam, quia Zachariam, patrem Ioannis vocat Lucas Euangelista, atq; apud eundem pater Domini Ioseph appellatur, Luc. 2. v. 48. eodem modo Ioseph pater erit dicendus Domini, quo Zacharias Ioannis. Aut quia peperisse Maria Dominum dicitur, quemadmodum reliquæ suos filios parere dicuntur, ideo eodem modo enixa, violato etiam claustro dicenda erit. Aut, quia homo Christus dicitur, humanam in eo personam fuisse dicemus; quia ea vox, cum de ceteris dicitur, humanam etiam personam significare solet: & tamen ex Philippi Dialectica, didicisse Danæus potuit, pro ratione rerum, de quibus est sermo, verborum significationem accipi oportere. Quid quod etiam quodam in loco Iurisconsultum agere voluit, & quidem admodum inconsulte? credo, ne in hoc genere aliquid intelligere putaretur. Sic enim contro. 2. libro. 4. ad caput. 1. dum Bellarmini ad 3. Hæreticorum argumentum responsionem confutat. *Verba hæc*, inquit, *Apud Deum, in fine sententiæ, ex professo à Luca adduntur, vt ad totum contextum & eius singulas partes referantur. Nam ex Iurisconsultorum regula, quæ in principio, aut fine adduntur, vbique repeti censentur*: Quæ, quam extra rem, ac plane inepte à Danæo dicantur, ipse status eius quæstionis expositus indicabit. Controuersia est, de iis verbis Luc. 2. v. 52. Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines. Negat Bellarminus, ea verba, Apud Deũ, & homines, ad singulas contextus particulas referri posse; quia nō potest intelligi, quid sit, sapientia apud Deum proficere, aut quid sit ætate apud Deum, vel homines proficere, quare ait, ea verba, Apud Deũ, & homines, spectare ad vltimā contextus particulā, vt dicatur Dominus profecisse gratia apud Deũ, & homines; quod ipsum, qua ratione intelligendũ sit mox explicat. Eam Bellarmini responsionem vt euertat Danæus, ex Iurisconsultorũ regula ita argumentatur. Quando aliquid additur in principio, vel fine cōtextus, repeti ad singulas particulas censetur: illa verba, Apud Deũ, adduntur ad finē; repeti igitur censentur ad singulas huius contextus particulas. Quam Iurisconsultorum regulam, si intellexisset, nunquā vsurpasset Danæus. Id enim enunciant Iurisconsulti, quando singulæ contextus particulæ eiusmodi sunt, vt ad eas referri possit id quod additur. Nam alioqui, si in Titii tabulis ita scriptum esset, emisse se à Sempronio vinum, frumentum, oleum statuas, ex ære, marmore, ebore, tam ne stultus futurus esset

HH Danæus,

Danæus, vt verba illa ex ære, marmore, & ebore, quia ad finem contextus addita sunt, ad vinum etiam, frumentum, & oleum, referri putaret oportere? Neque minus lepidum id, quod eiusdem controuersiæ libro. 5 ad caput. 10. scribit, dum Bellarmini responsionem, ad secundum Caluini argumentum conuellere nititur. *Cum expressa quædam sunt*, inquit, *in Dei verbo, alia prorsus excluduntur.* Quod tam immane enunciatum, vndè tandem Danæus eruit? Nam cum multa alia scriptura expresse doceat, huius nusquam meminerit; hoc quoque expresse excludi necesse est: quare falsum, ac verbo Dei repugnans censeri id oportebit. Quid, quod plurimas hominum generationes scriptura prætermisit, vix paucis quibusdam numeratis; nemo tamen tam erit stultus, qui eas nullas fuisse dicat, quia cum expresse quasdam in verbo Dei legamus, aliarum nulla fiat mentio, hoc ipso prorsus excludi censendæ sint.

5. Præclarè verò temporum, atque annorum, rationes subducit noster Danæus. Nam controuersia. 1. libro 2. ad caput. 10. ad 3. Bellarmini argumentum. *Ad occiduas*, inquit, *orbis regiones, vbi Romana lingua vsum habebat, nondũ peruenerat Euangeliũ, cũ Apostoli & Euãgelistæ scripserunt.* Ain Danæe, nulla dũ erat Romæ constituta Ecclesia, tũ cũ ad Romanos Apostolus scripsit? cum eius Ecclesiæ fides annunciabatur in vniuerso mũdo? Nulli erant in occiduis regionibus Christiani, tũ, cum vinctus à Iudæa Paulus Romam ad Cæsarem missus est? cum à fratribus Puteolis exceptus; cum vsque ad Appii forũ obuiã venienti Romã Paulo fratres prodierunt? Actorũ vltimo. Nullos Apostolus ipse Romæ Christianos fecit, quamuis salutationes Ecclesiis scribat, eorum etiam nomine, qui de Cæsaris erant domo? Denique, cum tam multos tulerit Martyres, occidua tota regio, Neronis, ac Domitiani temporibus, Ioannes verò Apocalypsin extremis Domitiani temporibus; Euangelium post eius mortem Ephesi scripserit, ad occiduas regiones non dum peruenerat Euangelium, cum Apostoli, & Euangelistæ scripserunt? Nequè illud festiuum minus, quod scribit contru. 1. libro 2. ad caput. 16. Monachos in terris extitisse post annum Domini quadringentesimum. Antiquissimum Monachorum ordinem in Ecclesia fuisse, atque ipsi propemodum Ecclesiæ æqualem, possem ostendere ex veterum scriptis: sed ad præsentem disputationem hoc non multum facit. Illud ad hominis inscitiam demonstrandã sit satis, quod Paulus primus Eremita, Decio Imperatore eremũ cœpit incolere,

quo

quo tempore Cyprianus, & Cornelius Martyrium consummarunt: Antonius Monachum profiteri cœpit, ante annum Domini trecentesimum, (nam quintum supra centesimum annum agens mortuus est anno Domini. 358. cum adolescens monasticam vitam agere instituisset) atque antequam is Monachus fieret, fuerunt in Ægypto, qui iam tum vitam monasticam colerent, teste Athanasio in vita Antonii. Illud quoque ridiculū, quod scribit eiusdem controu. libro. 4. ad caput 2. quatuor temporum ieiunium esse á Calixto 2. Pontifice institutum, circa annum Domini 1125. cum Leo primus Romanus Pontifex, qui ante annum Domini quingentesimum floruit eorum ieiuniorum meminerit; deque iis extent integri illius sermones, quibus ea instituta fuisse ab Apostolis testatur. Sed hominē, antiquitatis Ecclesiasticæ minimè peritum, decepit similitudo nominis, & libido calumniandi. Lecto enim Calixti nomine, in Decreto Gratiani, dist. 76. can. ieiuniū, existimauit eum canonem à Calixto 2. esse conditum, cum conditus is fuerit à Calixto. 1. Martyre, qui mille ferè annis Calixto. 2. fuit antiquior: quo ipso canone Calixtus testatur, ieiunium tribus anni temporibus antè se obseruari solitum in Ecclesia Romana fuisse: se verò constituere ait, vt ad tria illa, quartum quoquè addatur. Quare falsum absolute est, quod ait Danæus, à Calixto quatuor temporum ieiunium institutum, cum id ab Apostolis emanarit, Calixtus dumtaxat ad tria priora ieiunia quartum addiderit.

6. Vidimus reliquis disciplinis, quam parum eruditus sit; Dialecticam, in qua incredibile dictu est, quam sibi Danæus placeat; quam teneat, videamus. Nam vt elenchorum nomina, ac nonnulla alia ex Melanchthone dialectica vocabula, quibus totū hunc suum librum refersit; nosse eum non negauerim: ita vix vllam Dialecticæ legem, aut eorum nominum, quæ identidem vsurpat significationem, eum tenere contendo; quod exemplis manifestum faciam. Atque vt à syllogismorum legibus incipiamus, celeberrimum est Dialecticorum axioma; ex vero, non nisi verum, ex falso, tum falsum, tum etiam verum posse ratiocinando colligi. At Danæus, magnus syllogismorum opifex controu. 2. lib. 4. ad caput. 16. ipso initio, docet, ex vero, nihil nisi verum, ex falso, & absurdo, nihil, nisi falsum, & absurdum colligi, & effici posse. Quod eius enunciatum, si verum est, alterum manifeste efficitur, aut stipitem esse Danæum, aut hominem non esse. Si quis enim ita ratiocinetur;

omnis stipes est homo, Danæus est stipes, ergo Danæus est homo; profecto quod ad syllogismi formã, & constructionem spectat, nullum admittit vitium: quare propositionibus iis positis, consequens necessario colligitur. Ergo si Danæus homo vere est, verum autẽ ex falso nõ potest effici; verum item erit Danæum stipitem esse; aut si falsum est Danæum esse stipitem, neque verum ex falso colligi potest, verum non est Danæum hominem esse. Neque illud minus vulgatum est, in secunda syllogismorum figura, si vtraque propositio sit affirmans, nihil colligi. At noster hic, ex Philippo Dialecticus, mirifice sibi argumentari visus est, cum eo genere argumentationis est vsus. Nam controuersiæ 2. libro secundo, ad caput vigesimum sextum, axioma illud sancti Thomæ, nullam esse in Deo distinctionem, nisi, vbi est originis oppositio: his verbis conuellere nititur. *Quid si, inquit, dixero ipse, & hanc aduersus eiusmodi rationem ἔνστασιν proposuero Thomæ? tam sunt relationes originis oppositæ, mas, & fœmina, quam spirator, & spiratus; ergo, & hoc modo spiritus à Filio distinguatur necesse est.* Quæ eius ratiocinatio, si ad perfectũ syllogismũ reuocetur, hæc sine dubio est futura, Omne distinguens personas Diuinas est relatio orginis opposita; mas, & fœmina, sunt relationes originis oppositæ; mas igitur, & fœmina distinguunt personas Diuinas: qui ex duabus propositionibus affirmantibus constat, estque secundæ figuræ syllogismus. Petitionem esse principii, hoc est maximum argumentationis vitium, cum id accipitur ad probandum, quod est in quæstione, notissimum est. Ne hoc quidem vitio vacant Danæi ratiocinationes. Ita libro. 4. controu. 2. ad caput. 10. in quo capite Bellarminus disputat contra Bezã, qui verba illa, quæ act. 2. ex psalmo. 16. non derelinques animã meam in inferno citat Petrus, ita interpretatur, vt dicat inferni nomen eo loco sepulchrum significare; eamque hominis inepti interpretationem ex eo refellit, quod ᾅδης, quo nomine eo loco vtitur Lucas, sepulchrum nunquam significat; at eximius noster hic Dialecticus probat, nomen illud significare, etiam sepulchrum his verbis. Græca vox ᾅδης, pro sepulchro cadaueris poni apparet, ex acto. 2. v. 31. psalmo 16. v. 10. atque ita ad confirmationem sententiæ suæ eum ipsum scripturæ locum citat, de cuius interpretatione controuersia est, contruersiæ primæ lib ro quarto ad caput quartum, in responsione ad primam Bellarmini rationem cum nun-

nunquam probauerit nullum extare aliud Dei verbum, nisi scriptum; ac de hoc ipso controuersia sit, quia Ecclesia Christiana contendit esse etiam verbum Dei ab Apostolis non scripto, sed verbo traditum, atque inter fideles traditione conseruatum. Hæretici contra negant, vllum esse aliud in Ecclesia Dei verbum, nisi quod consignatum sacris voluminibus est. Cum igitur de hac re controuersia eo loco sit, neq; sententiã suam Danæus, vspiam probauerit, tamen ita scribit. Nos Deo, iam ex solo scripto ipsius verbo seruiendum docemus, & seruimus, quia nullum aliud habemus verbum ab eo reuelatum, nisi quod scriptum est. Atqui istuc ipsum quæimus, atque in eo controuersia est posita; habeamus ne aliquod aliud Dei verbum, præter id, quod scriptum est; tu (quia iniustum scilicet esset, iis teneri te legibus, quas ignoras) quasi iure tuo illud ipsum vsurpas, quasi certum, ac minime dubium; & quidem in eiusdem ipsius rei disceptatione. Est & illud celeberrimum, apud Dialecticos, neque notum, per ignotum, neque ignotum per ignotum demonstrari, neque mutuam, ac reciprocam esse debere probationem, quam circulum vocant. At Danæus Brentii sequutus ineptiam, aut vnum ex his, aut plura etiam vitia admisit. Controuersiæ primæ libro tertio ad caput quartum, quo capite Bellarminus ex Deuteronomii. 17. versic. octauo & deinceps, probat dari in Ecclesia Iudicem controuersiarum, Scripturæ verba sunt hæc. *Si difficile, atque ambiguum, apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem; causam, & causam; lepram, & lepram; iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis; & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi Iudicii veritatem: & facies quodcumque dixerint qui præsunt, loco quem elegerit Dominus; & docuerint te iuxta legem eius: sequerisque sententiam eorum; nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram; qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.* Ex quo loco Bellarminus ita argumentatur. Iubet Dominus, in rebus iis, quarum difficilis est in lege explicatio, Sacerdotis iudicio stari: erat ergo in lege veteri controuersiarum de lege, penes Sacerdotes iudicium: quam rationem ante iam à Catholicis allatam, Brentius conatus est soluere,

cum diceret, ita stari debuisse iudicio sacerdotis, si is secundum legem iudicasset. Quam Brentii insaniam confutat egregie Bellarminus, quia si ita intelligeretur, stari iudicio Sacerdotis, si docuerit te secundum legem, fuissent homines magis dubii, & perplexi, quam ante: nec opus fuisset ire ad Sacerdotem, si ipsi potuissent per se dispicere, quid agendum ex lege Domini foret; imo non Sacerdos fuisset Iudex, sed ipsi, quippe, qui de sententia Sacerdotis iudicaturi erant. Ex qua Bellarmini aduersus Brentiũ ratione patet manifestè interpretatione illa Brentii, aut circulum, aut ignoti per ignotum probationem contineri; quia is, qui ascendit, vt solutionem à Sacerdote quærat, aut scit quæ sit legis de re, quæ in controuersiam vocatur sententia, aut nescit: si tenet veram legis interpretationem, non est cur ascendat, nisi fortè, aut tentandi Sacerdotis causa; aut vt per eius sententiam, quæ incerta, ac dubia, per aduersarios est, exploratam, ac minimè dubiam interpretationem suam, hoc est notum, per ignotum probet. Si autem de vera legis interpretatione incertus, & anceps est; qua ratione, per legem, quam non intelligit, certò scire potest, veram esse sententiam Sacerdotis? Ita enim argumentandum ei erit, quod Sacerdos docet, id cum lege congruit; vere igitur docet Sacerdos. At cum nesciat quæ sit legis sententia, ne potest quidem scire, vtrum sit sacerdotis iudicium consentaneum legi, quare ignotum, per ignotum probat. Nisi fortè maluerit aduersarius eum, qui ad consulendum sacerdotem ascenderit, ita rursus argumentari. Sacerdos ita legem interpretatur, ergo hæc est vera eius interpretatio, qui est circulus manifestus: nam legis interpretatio vera esse probabitur ex iudicio Sacerdotis, ac rursus verum sacerdotis iudicium, quia cum lege consentit. At noster hic Dialecticus Geneuensis, ne quid vspiam ineptiarum relinqueret, quod in suos comentarios non transferret. *Additur*, inquit, *ibidem v. 11. disertè eatenus summi sacerdotis, vel Iudicis sententiam veram esse, quatenus illa est consentiens edicto legis Dei. Confirmatur ex Malach. 2. v. 7. labia sacerdotis custodient legem; & Christi ipsius dicto, Matth. 23. v. 2. 3. itaque Doctor Brentius recte senserat.* Hæc Danæus. Quibus verbis, quia Brentii ineptias probat, ineptus est; quia Deuteronomii verba corrumpit, falsarius; quia scripturæ verba etiam peruerse prolata, non id probant, quod ipse vult, Dialecticæ penitus expers apparet. Vbi enim, in toto eo Deuteronomii capite legit Danæus, eatenus veram esse sacerdotis sententiam, quatenus

est

est edicto legis consentiens? Certe v. 9. ita scriptum est; Venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Vides hîc aperte promitti, fore, vt sacerdotes indicent consulentibus veritatem? pergit scriptura, v. 10. & facies quodcumquè dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus; v. 11. & docuerint te, iuxtà legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram. Vbi in his verbis, illa hypothesis: si docuerint iuxtà legem, vera dicent; aut eatenus vera dicent, quatenus iuxta legem responderint? quis tam est hebes, qui non videat eam, eorum verborum esse vim, Sacerdotes indicabunt tibi, rei, de qua dubitabas veritatem; quare facies, quodcumque præceperint, quodque docuerint, quod sine dubitatione erit iuxta legem Domini? alioqui quorsum illa subiiceret, sequerisque sententiam illorum, non declinabis ad dexteram, neque ad sinistram? quorsum secus facienti, supplicium capitale proponeret? Iam verò etiam si scripturæ verba, ea plane essent, quæ sibi Danæus composuit: eatenus summi sacerdotis, vel Iudicis sententia vera est, quatenus illa est consentiens edicto legis Dei, quid ex iis colligeret? Dicimus enim summum Iudæorum sacerdotem assistente sibi Dei Spiritu, qui pollicitus est fore, vt sacerdos indicaret consulentibus iudicii veritatem, non potuisse à legis edicto discedere. Qualis igitur hæc est Danæi argumentatio, sacerdotis sententia eatenus vera est, quatenus consentit legis edicto; non fuit ergò rata sententia sacerdotis; neque ad eum spectauit de legis vera sententia iudicare? Neque illud minus in hoc genere lepidum. pollicetur Deus per Malachiam fore, vt labia sacerdotis custodiant legem, ergò non est standum iudicio sacerdotis: imò quia labia sacerdotis custodient legem, cum Angelus sit Domini exercituum, standum est sacerdotis iudicio legem interpretantis. Illud item ridiculum. Matth. 23. v. 2. & 3. ait Dominus; super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia ergo, quæcumq; dixerint vobis, seruate, & facite; non est ergò standum eorum iudicio, cum agendum aliquid seruandumve præcipiunt. Imo verò, quia legis interpretandæ ius habent, & cathedram Moysi obtinent, cum seruandum aliquid docent seruandum est; eorumque propter reuerentiam cathedræ ratum, ac sanctum habendum iudicium.

Hæc

Hæc de Danæi argumentationibus, ac syllogismorum legibus nō seruatis, de perperā vsurpatis elenchorum nominibus, in quibus totus est: illud sit instar omnium. Nam si quod est elenchi genus, quod quilibet Dialecticæ etiam plane rudis, facile intelligat in quo situm sit; is est paralogismus à non causa, pro causa; cuius tota in eo fallacia sita est, quod id affert pro causa rei, quod reuera causa eius non est. At Danæus huius ipsius elenchi nomen cum teneat, rem nō tenet. Plerumque argumentū ab auctoritate; & testimonio, negat quicquam efficere, quia paralogismum ait esse à non causa. Ita passim in 1. libro. 1. contro. cum ab auctoritate Patrum probat Bellarminus aliquem librum esse canonicum. At, si nullum aliud argumenti genus putat vim habere, nisi, quod à rei causa ducitur, stultus est; nam etiam ab effectu, à coniunctis, à pugnantibus, à testibus argumenta duci solere, certissimū est. Neque verò cū Deus causam nullā habeat, ipse sit rerū omnium causa, ideo nihil de Deo necessaria ratiocinatione concludimus. Si putat vllū esse, qui, cū testimonia profert, earū rerū, quæ testibus comprobātur; causas afferre se existimet, insanus est. An ipse, cum Diuinitatem Christi, Beatæ Mariæ virginitatem, aut similia probat testimonio scripturarum, causam afferre se credit, cur Christus Deus fuerit, aut Beata Maria Virgo permanserit? Atque vt intelligas, his nominibus elenchorum, temere vti Danæum, libro secundo primæ controuersiæ ad caput 15. hoc idem nomen paralogismi à non causa, tribuit ei ratiocinationi, in qua falsa aliqua assumitur propositio. Paralogismus, inquit est à non causa, falsum enim pro vero assumit. Huic est illud affine, quod eadem controu. libro. tertio. ad caput. quartum scribit. Est, inquit, paralogismus à non causa, falsò enim citat, & interpretatur locum Deuteronomii, c. 17. v. 8. Quibus in verbis Danæi, dissimulo mendacium, cum scripturæ locus ad verbum exscriptus, atque optima fide prolatus sit eo loco à Bellarmino; illud in præsentia quæro, cur si falsò prolatus sit locus, si male explicatus, si falsa aliqua propositio in ratiocinatione assumpta, paralogismus sit à non causa? an quia necesse est, quicumque argumentatur, à causa argumentari? at hoc iam ante reiecimus; an quia quicumque ex falso argumētatur, causam afferre se credit? at id quoque confutatum est; quid igitur est causæ, cur à non causa argumentari eum dicat, qui ex falso ratio-

ratiocinatur? nimirum, vim vocis huius non capit, neque dum ſatis intelligit, quæ ſit huic voci ſubiecta notio. Itaque hoc ipſum Syllogiſmi vitium controuerſia prima libro quarto ad caput quartum, dum ſoluere primum Bellarmini argumentum nititur, alio, neque eo magis accommodato nomine appellat. *Tertius*, inquit, *in hac eadem ratione paralogiſmus eſt à petitione principij: falſum enim ſupponit, ac ſibi concedi petit.* Quis autem eſt tam ineruditus Dialecticus, qui omnem ratiocinationem, quæ falſo nititur, eſſe petitionem principij exiſtimet? Nimirum Syllogiſmorum vitia, quibus nominibus appellentur ex Melanchthonis Dialectica, didiciſſe homini Grammatico ſatis fuit; quid iis nominibus ſignificetur, ne nimium ſaperet, aut non libuit, aut quod credibilius eſt, non licuit per ingenium diſcere.

7. His omnibus illud adiiciam coronidis loco, hunc hominem tam ineptum, tamque omnibus ferè diſciplinarum atque ingenij præſidiis deſtitutum; ex cuius libris, ſi mendacia, blaſphemias, antilogias, ineptias tollas, in paucas admodum pagellas, (ſi tamen etiam paucas) recidere neceſſe eſt; ſummo in honore, atque exiſtimatione doctrinæ, apud ſuos fuiſſe. Cuius rei illud argumentum eſſe poteſt, quòd librum hunc, quem, antè extinctus eſt, quam abſoluere potuerit, permoti eius opinione, ſapientiæ, addito etiam inſigni elogio, Cantuarienſi, hoc eſt vni è præcipuis ſuæ ſectæ Præſulibus dicatum Geneuenſes emiſerunt. Sic enim in ea præfatione, quæ typographi Geneuenſis nomine ei libro præpoſita eſt, de Danæo ſcripſerunt. *Et ſi multi præſtantes doctrina, & pietate viri, tela illius,* (Roberti Bellarmini) *retuderint, & etiam nunc retundant in Germania, Britannia, Gallia: poſthumus tamen hic fœtus clariſſimi & præſtantiſſimi viri Domini Lamberti Danæi optima ratione fuit in lucem emittendus, quo ſcirent omnes, patrocinium veritati nunquam defuiſſe, deeſſevè. Fecit auctoris præmaturus interitus, ne ad vmbilicum perduceretur, tota Bellarminicarum diſquiſitionum tela; ſed tamen ex iis, quæ hoc tempore & loco prodeunt, quàm facilè ſit argumentorum ipſius vanitatem, futilitatemque arguere, apparere poteſt. Breuiter enim, ſolidè tamen, & acutè, velut aranearum telas perrumpit, veritatis propoſitæ robur, & à Danæo expoſitæ.* Hæc in ea præfatione, vt neſcias mirari nè magis iuſtum Dei

iudicium; an miserari debeas eorum hominum conditionem qui, aut fidei, ac religionis doctrinam, ab eo petere non dubitarunt, cuius mendacitatem, inscitiam, inconstantiam, impietatem perspectam habebant: aut rem apertissimam, in luce meridiana positam, cœlitus offusis animo tenebris non viderunt.

FINIS.

Cum facultate Superiorum.





INDEX



INDEX CAPITVM

ET ARGVMENTORVM, QVÆ HIS DVOBVS LIBRIS CAstigationum continentur.

LIBRI PRIMI

LIBRI SECVNDI.

9-3-3

cum diceret, ita stari debuisse iudicio sacerdotis, si is secundum legem iudicasset. Quam Brentii insaniam confutat egregie Bellarminus, quia si ita intelligeretur, stari iudicio Sacerdotis, si docuerit te secundum legem, fuissent homines magis dubii, & perplexi, quam ante: nec opus fuisset ire ad Sacerdotem, si ipsi potuissent per se dispicere, quid agendum ex lege Domini foret: imo non Sacerdos fuisset Iudex, sed ipsi, quippe, qui de sententia Sacerdotis iudicaturi erant. Ex qua Bellarmini aduersus Brentiũ ratione patet manifestè interpretatione illa Brentii, aut circulum, aut ignoti per ignotum probationem contineri; quia is, qui ascendit, vt solutionem à Sacerdote quærat, aut scit quæ sit legis de re, quæ in controuersiam vocatur sententia, aut nescit: si tenet veram legis interpretationem, non est cur ascendat, nisi forte, aut tentandi Sacerdotis causa; aut vt per eius sententiam, quæ incerta, ac dubia, per aduersarios est, exploratam, ac minimè dubiam interpretationem suam, hoc est notum, per ignotum probet. Si autem de vera legis interpretatione incertus, & anceps est; qua ratione, per legem, quam non intelligit, certò scire potest, veram esse sententiam Sacerdotis? Ita enim argumentandum ei erit, quod Sacerdos docet, id cum lege congruit; vere igitur docet Sacerdos. At cum nesciat quæ sit legis sententia, ne potest quidem scire, vtrum sit sacerdotis iudicium consentaneum legi, quare ignotum, per ignotum probat. Nisi forte maluerit aduersarius eum, qui ad consulendum sacerdotem ascenderit, ita rursus argumentari. Sacerdos ita legem interpretatur, ergo hæc est vera eius interpretatio, qui est circulus manifestus: nam legis interpretatio vera esse probabitur ex iudicio Sacerdotis, ac rursus verum sacerdotis iudicium, quia cum lege consentit. At noster hic Dialecticus Geneuensis, ne quid vspiam ineptiarum relinqueret, quod in suos comentarios non transferret. *Additur*, inquit, *ibidem v. 11. disertè eatenus summi sacerdotis, vel Iudicis sententiam veram esse, quatenus illa est consentiens edicto legis Dei. Confirmatur ex Malach. 2. v. 7. labia sacerdotis custodient legem; & Christi ipsius dicto, Matth. 23. v. 2. 3. itaque Doctor Brentius recte senserat.* Hæc Danæus. Quibus verbis, quia Brentii ineptias probat, ineptus est; quia Deuteronomii verba corrumpit, falsarius; quia scripturæ verba etiam peruerse prolata, non id probant, quod ipse vult, Dialecticæ penitus expers apparet. Vbi enim, in toto eo Deuteronomii capite legit Danæus, eatenus veram esse sacerdotis sententiam, quatenus
est

est edicto legis consentiens? Certe v. 9. ita scriptum est; Venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresquè ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Vides hîc aperte promitti, fore, vt sacerdotes indicent consulentibus veritatem? pergit scriptura, v. 10. & facies quodcumquè dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus; v. 11. & docuerint te, iuxtà legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram. Vbi in his verbis, illa hypothesis: si docuerint iuxtà legem, vera dicent; aut eatenus vera dicent, quatenus iuxta legem responderint? quis tam est hebes, qui non videat eam, eorum verborum esse vim, Sacerdotes indicabunt tibi, rei, de qua dubitabas veritatem; quare facies, quodcumque præceperint, quodque docuerint, quod sine dubitatione erit iuxta legem Domini? alioqui quorsum illa subiiceret, sequerisque sententiam illorum, non declinabis ad dexteram, neque ad sinistram? quorsum secus facienti, supplicium capitale proponeret? Iam verò etiam si scripturæ verba, ea plane essent, quæ sibi Danæus composuit: eatenus summi sacerdotis, vel Iudicis sententia vera est, quatenus illa est consentiens edicto legis Dei, quid ex iis colligeret? Dicimus enim summum Iudæorum sacerdotem assistente sibi Dei Spiritu, qui pollicitus est fore, vt sacerdos indicaret consulentibus iudicii veritatem, non potuisse à legis edicto discedere. Qualis igitur hæc est Danæi argumentatio, sacerdotis sententia eatenus vera est, quatenus consentit legis edicto; non fuit ergò rata sententia sacerdotis; neque ad eum spectauit de legis vera sententia iudicare? Neque illud minus in hoc genere lepidum. pollicetur Deus per Malachiam fore, vt labia sacerdotis custodiant legem, ergò non est standum iudicio sacerdotis: imò quia labia sacerdotis custodient legem, cum Angelus sit Domini exercituum, standum est sacerdotis iudicio legem interpretantis. Illud item ridiculum. Matth. 23. v. 2. & 3. ait Dominus; super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia ergo, quæcumq; dixerint vobis, seruate, & facite; non est ergò standum eorum iudicio, cum agendum aliquid seruandumve præcipiunt. Imo verò, quia legis interpretandæ ius habent, & cathedram Moysi obtinent, cum seruandum aliquid docent seruandum est; eorumque propter reuerentiam cathedræ ratum, ac sanctum habendum iudicium.

Hæc

ratiocinatur? nimirum, vim vocis huius non capit, neque dum ſatis intelligit, quæ ſit huic voci ſubiecta notio. Itaque hoc ipſum Syllogiſmi vitium controuerſia prima libro quarto ad caput quartum, dum ſoluere primum Bellarmini argumentum nititur, alio, neque eo magis accommodato nomine appellat. *Tertius*, inquit, *in hac eadem ratione paralogiſmus eſt à petitione principij: falſum enim ſupponit, ac ſibi concedi petit.* Quis autem eſt tam ineruditus Dialecticus, qui omnem ratiocinationem, quæ falſo nititur, eſſe petitionem principij exiſtimet? Nimirum Syllogiſmorum vitia, quibus nominibus appellentur ex Melanchthonis Dialectica, didiciſſe homini Grammatico ſatis fuit; quid iis nominibus ſignificetur, ne nimium ſaperet, aut non libuit, aut quod credibilius eſt, non licuit per ingenium diſcere.

7. His omnibus illud adiiciam coronidis loco, hunc hominem tam ineptum, tamque omnibus ferè diſciplinarum atque ingenij præſidiis deſtitutum; ex cuius libris, ſi mendacia, blaſphemias, antilogias, ineptias tollas, in paucas admodum pagellas, (ſi tamen etiam paucas) recidere neceſſe eſt; ſummo in honore, atque exiſtimatione doctrinæ, apud ſuos fuiſſe. Cuius rei illud argumentum eſſe poteſt, quòd librum hunc, quem, antè extinctus eſt, quam abſoluere potuerit, permoti eius opinione, ſapientiæ, addito etiam inſigni elogio, Cantuarienſi, hoc eſt vni è præcipuis ſuæ ſectæ Præſulibus dicatum Geneuenſes emiſerunt. Sic enim in ea præfatione, quæ typographi Geneuenſis nomine ei libro præpoſita eſt, de Danæo ſcripſerunt. *Et ſi multi præſtantes doctrina, & pietate viri, tela illius,* (Roberti Bellarmini) *retuderint, & etiam nunc retundant in Germania, Britannia, Gallia: poſthumus tamen hic fœtus clariſſimi & præſtantiſſimi viri Domini Lamberti Danæi optima ratione fuit in lucem emittendus, quo ſcirent omnes, patrocinium veritati nunquam defuiſſe, deeſſevè. Fecit auctoris præmaturus interitus, ne ad vmbilicum perduceretur, tota Bellarminicarum diſquiſitionum tela; ſed tamen ex iis, quæ hoc tempore & loco prodeunt, quàm facilè ſit argumentorum ipſius vanitatem, futilitatemque arguere, apparere poteſt. Breuiter enim, ſolidè tamen, & acutè, velut aranearum telas perrumpit, veritatis propoſitæ robur, & à Danæo expoſitæ.* Hæc in ea præfatione, vt neſcias mirari nè magis iuſtum Dei

LI iudi-


iudicium ; an miserari debeas eorum hominum conditionem qui, aut fidei, ac religionis doctrinam, ab eo petere non dubitarunt, cuius mendacitatem, inscitiam, inconstantiam, impietatem perspectam habebant : aut rem apertissimam, in luce meridiana positam, cœlitus offusis animo tenebris non viderunt.

FINIS.

Cum facultate Superiorum.







INDEX

INDEX CAPITVM

ET ARGVMENTORVM, QVÆ HIS DVOBVS LIBRIS CAstigationum continentur.

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

